ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE.


Ann. CIƆIƆCCCXVI - CIƆIƆCCCXVII.

ANNALES
ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIƆIƆCCCXVI - CIƆIƆCCCXVII.

IANO BLEULAND,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO,

HERMANNO ARNTZENIO,
SENATUS GRAPHIARIO.



TRAIECTI AD RHENUM,
APUD OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG,
ET I. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXVIII.

HOC ANNALIUM VOLUMINE
CONTINENTUR.

B. C. TILANUS, *responsio ad quaestionem Medicam.*

S. I. M. VAN GEUNS, *responsio ad quaestionem Literariam.*

N. THOLEN, *responsio ad quaestionem Literariam.*

C. A. DEN TEX, *responsio ad quaestionem Juridicam.*

B. NIEUHOFF, *Oratio.*

ANNALES

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE,

Ann. CIƆIƆCCCXVI - CIƆIƆCCCXVII.

§. I.

In Academia Traiectina a die XXVI *Martii*, *A.* CIƆIƆCCCXVI., *ad diem* XXVI *Martii*, *A.* CIƆIƆCCCXVII, *munus obierunt docendi*

MEDICINAM;

MATTHIAS VAN GEUNS, *ob aetatem septuagenariam rude donatus.*

IANUS BLEULAND, *h. t. Acad. Rector.*

NI-

Nicolaus Cornelius de Fremery.

Bernardus Franciscus Suerman.

Daniël Dylius (*).

MATHESIN ET PHILOSOPHIAM NATURALEM;

Gerardus Moll.

Ioannes Fredericus Ludovicus Schröder.

Ianus Kops.

PHILOSOPHIAM THEORETICAM ET LITERAS HUMANIORES;

Ioannes Theodorus Rossyn, *ob aetatem septuagenariam rude donatus.*

Philippus Gulielmus van Heusde.

Dithmarus Huisman.

Ioannes Henricus Pareau.

Antonius van Goudoever.

Adamus Simons.

THE-

(*) *Huius Viri Clarissimi, anno Academico nondum exacto, die* IX. *Martii, rebus humanis erepti, memoriam celebravit Cl.* Bleuland. *Vid. horum Annal. p.* 32. *seqq.* — *Opuscula ab eo edita indicantur p.* 57. *seq.*

THEOLOGIAM;

Sebaldus Rau, *ab aetatem ſeptuagenariam rude donatus.*

Hermannus Royaards.

Iodocus Heringa, e. f.

Gabriël van Oordt.

IURISPRUDENTIAM;

Cornelius Wilhelmus de Rhoer.

Hermannus Arntzenius, *h. t. Acad. Graphiarius.*

Ioannes Richardus de Brueys.

LECTORES.

Philippus Franciscus Heyligers, *Chirurg. et Obſtetriciae artis.*

Samuel Nyhoff, *Ling. Graecae; creatus* xxv *Iunii*, *A.* cIↄIↄcccxvi.

MAGISTER ACADEMICUS.

Iohan Salentyn Hoffman, *Equitationis.*

§. II.

§. II.

Quaestiones ad certamen literarium diversarum disciplinarum studiosis in Academiis et Athenaeis Batavis, ineunte anno CIↃIↃCCCXVI., *fuerunt propositae his formulis.*

THEOLOGICA.

Quaenam est Theologiae Naturalis in se spectatae praestantia? Quid doctrina insuper divinitus patefacta confert ad eam illustrandam et firmandam? Quaenam denique eius est vis atque utilitas apud eos, qui religionis Christianae notitia sunt beati?

IURIDICA.

Quaeritur, an ipsa natura obligationis civilis liberam e patria migrationem civi permittat? Si vulgo permittat, quae sint exceptiones, quibus facultas illa migrandi coarctetur, ex Iure Publico vel communi omnium Europae populorum, vel singulari huius illiusve imperii, repetendae?

Quae

Quae porro praecipuae ſint cauſſae impeditae illius libertatis? An tandem omnia iura et officia mutua, et *civis*, *qui iure ſuo migravit*, et *patriae*, *quam dereliquit*, *post migrationem penitus intereant?*

MEDICA.

Breviter diſtincteque indicetur modus et ratio actionis nervorum, *quaeque ſint maxime probabiles huius actionis explicationes.*

MATHEMATICA.

Quandoquidem parallelarum linearum theoria a variis mathematicis vario modo tractatur, *nec tamen ulla methodus omnes tollit difficultates*, *quaeritur*

I. *Recenſio et comparatio praecipuarum methodorum quibus Geometrae*, *in primis recentiores*, *parallelarum theoriam expoſuerunt.*

II. *Investigatio cauſſarum*, *cur adeo parum in hac re profecerint Mathematici*, *ut fere ad Euclidis rationem redeundum ſit.*

PHY-

PHYSICA.

Quamvis multi Physici phaenomena magnetis explicare ſtuduerint, eorum phaenomenorum causſa nos adhuc latet. Itaque proponitur iuvenibus, Physices ſtudioſis, ut

I. *Recenſeant, exponant, comparent praecipuas hypotheſes, e quibus magnetis phaenomena explicari ſolent.*

II. *Indicent phaenomena, quae facilius ex hac illave hypotheſi explicari posſint.*

III. *Ostendant, quid accuratae perfectaeque magnetis theoriae adhuc deſit.*

HISTORICA.

Quam vim habuerunt apud Romanos foeminae in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus? Adiiciatur huic disquiſitioni foeminarum Romanarum characterismus.

Quandoquidem explicanda haec erunt e domesticâ maxime vitâ principum Romanorum, fontes historicos, unde hauriatur, in primis ſignificamus vitas Plutarcheas.

Ad

Ad quas erit respondendum ante diem XX. *Ianuarii, A.* CIƆIƆCCCXVII. *libellis, aliena manu scriptis, ac Senatus Academici Secretario missis, ut praemia reportata distribui possint, ipso die Academiae natali, qui futurus est* XXVI. *Martii, illius anni.*

§. III.

Lectionum a finitis feriis aestivis, A. CIƆIƆCCCXVI, *ad ferias aestivas, A.* CIƆIƆCCCXVII, *habendarum fuit ordo propositus, secundum quem docebunt,*

In FACULTATE THEOLOGICA,

Theologiam naturalem G. VAN OORDT, d. lunae et iovis, h. XI.

Historiam Ecclesiasticam D. HUISMAN, quater per dierum hebdomadem, h. III.

Fundamenta interpretationis N. T. I. HERINGA, E. F. diebus martis, iovis et veneris, h. XII.

Exegeticas lectiones in *Librum Iobi* habebit I. H. PAREAU, d. lunae, martis et iovis, h. I.

Epi-

Epistolam D. Pauli ad Romanos interpretabitur H. ROYAARDS, d. mercurii, h. XII.

Actorum Apost. priorem partem interpretabitur I. HERINGA, E. F. diebus lunae et iovis, h. VIII. *Parabolas* Domini nostri I. C. eâdem hora, diebus martis et veneris.

Primum quidem *universa quaedam capita*, quibus *doctrina Religionis Christianae exponatur, illustretur, aut firmetur*, (*de algemeene leer van den Christelijken Godsdienst*) interpretabitur: dein autem *Theologiam Dogmaticam* docebit H. ROYAARDS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. IX.

Collocutionibus de *locis theologicis* vacabunt I. HERINGA, E. F. d. iovis, horis vespert. a VII. ad IX; et G. VAN OORDT, die mercurii, horis vespertinis a VII. ad IX.

Christianam morum disciplinam docebit G. VAN OORDT, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. X.

Praecepta *homiletica* tradet H. ROYAARDS, d. mercurii, h. X.

Exercitationes Oratorias Sacras moderabitur I. HERINGA, E. F. die saturni, h. I.

Of-

Officia nuntiorum Euangelii exponet H. ROYAARDS, d. mercurii, hora IX.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituent I. HERINGA, E. F. die martis, hora XI. et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI. alternis hebdomadibus.

Orationibus Sacris pronunciandis praeerunt H. ROYAARDS, die martis, hora XI; I. HERINGA, E. F. die lunae, hora XII; et G. VAN OORDT, die mercurii, hora XI.

Disputandi exercitationibus praeerunt H. ROYAARDS et I. H. PAREAU, d. veneris, h. I. alternis hebdomadibus; I. HERINGA, E. F. die saturni, privatim h. VIII, publice die mercurii, hora I; et G. VAN OORDT, publice eadem die ac hora: hi etiam alternis hebdomadibus.

Denique S. RAVIUS, licet propter aetatem rude sit donatus, iis tamen non deërit, quos consilio suo iuvare poterit.

In FACULTATE IURIDICA,
docebunt

Institutiones, Westenbergio duce, H. ARNTZENIUS, quater per dierum hebdomadem, h. X.

Pan-

Pandectas, eodem duce, H. ARNTZENIUS, fexies per dierum hebdomadem, h. IX.

Ius naturae C. W. DE RHOER, diebus lunae, martis, iovis et veneris, h. XI.

Ius gentium et publicum C. W. DE RHOER, iisdem diebus, hora I.

Ius criminum et poenarum C. W. DE RHOER, diebus mercurii et faturni, hora XI, vel alia, auditoribus forte magis commoda.

Ius belgicum I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Encyclopaediam et Methodologiam Iuris I. R. DE BRUEYS, diebus mercurii et faturni ead. hora.

Historiam iurisprudentiae Romanae H. ARNTZENIUS, diebus mercurii et faturni, hora X.

Disputandi exercitationibus alternatim praeerunt H. ARNTZENIUS et I. R. DE BRUEYS.

In FACULTATE MEDICA,
docebunt

Anatomiam B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, h. IV.

Phyfiologiam I. BLEULAND, quater, h. VIII.

Pathologiam B. F. SUERMAN, quater, h. IX.

Prax-

Praxin medicam D. DYLIUS, die lunae, martis, mercurii et iovis, horâ XII.

Pharmaciam, ſecundum Pharmacopoeam Batavam, vernaculo ſermone, N. C. DE FREMERY, diebus martis et veneris, horâ III.

Materiem medicam, ſive *Historiam remediorum* D. DYLIUS enarrabit diebus mercurii et veneris, horâ I.

Inſtitutionibus clinicis vacabit D. DYLIUS, ſingulis diebus, Noſocomio Academico hunc in finem exſtructo et aperto.

Chirurgiam B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, h. X.

Inſtitutioni clinicae in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Artem obſtetriciam theoreticam et practicam I. BLEULAND, ter quavis hebdomade, h. I.

Diaeteticam; *Medicinam politicam et forenſem* N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, h. VIII.

Denique M. VAN GEUNS, quamvis ſolito docendi et agendi officio academico ſuo, regia auctoritate, honorifice ſolutus iam ſit, integra tamen manente docendi facultate ſua, hac quidem, quantum aetas et valetudo ſinent, lubens ad-

adhuc utetur, ut, exponendis partibus ad Iamatologiam facientibus, sive *Pathologiae*, sive *Diaeteticae* ac *Materiae medicae*, Studiosorum utilitati nostrorum inservire totus nondum desinet.

In FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS,

docebunt

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. VIII.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ad elementa Astronomiae atque Geographiae mathematicae adhibitam atque applicatam I. F. L. SCHRÖDER, iisdem d. h. XI.

Hydraulicam et *Hydrotechnicam* I. F. L. SCHRÖDER, iisdem d. h. IV.

Calculum integralem I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae et martis, h. I.

Physicam experimentalem G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. I.

Physicam mathematicam I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, h. I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IX.

Astro-

ticam G.

N. C. DE

tarum I.
X.

ata con-
us lunae,

', bis per
commoda.
d. lunae,

THEO-
UMA-

, d. lu-

meritus,
.

HUIS-

Li-

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XI.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, d. mercurii et ſaturni, h. IX.

Historiam Literariam Scriptorum Latinorum A. VAN GOUDOEVER, d. mercurii et ſaturnii, h. XII.

Exercitationes Oratorias moderabitur A. VAN GOUDOEVER, d. ſaturni, h. I.

Literas Graecas Ph. G. VAN HEUSDE, interpretando cum *Dialogos Luciani*, die lunae et iovis, horâ X: tum *Aristophanis Plutum* et *Homeri Odysſeam*, die martis et veneris, hora X.

Antiquitatem Graecam Ph. G. VAN HEUSDE, d. mercurii et ſaturni, h. X.

Literas Hebraicas docebit I. H. PAREAU, ita ut *Grammaticam* exponat d. lunae et iovis h. IX. eademque hora, d. martis et veneris, quaedam tractet capita e priore *Samuëlis* libro.

Literas Arabicas I. H. PAREAU, d. lunae et iovis, h. XI.

Literas Chaldaicas et *Syriacas* I. H. PAREAU, d. martis et veneris, h, XI.

Antiquitatem Hebraicam I. H. PAREAU, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. IV.

His-

Historiam universam Ph. G. van HEUSDE, d. lunae, martis, iovis et veneris, h. XII.

Historiam politicam et literariam gentium Europaearum recentiorum Ph. G. van HEUSDE, die mercurii et saturni, hora XI.

Historiam Patriae A. SIMONS, d. mercurii et saturni, h. VIII.

Literas Belgic. et Eloquentiam A. SIMONS, d. martis, iovis et veneris, h. III. et d. iovis, h. IX.

Historiam Poës. Belgic. A. SIMONS, diebus et horâ, auditoribus commodis.

Disputandi exercitationibus praeerit, alternis hebdomadibus, die saturni, hora I. Ph. G. van HEUSDE.

PH. F. HEYLIGERS.

Artem obstetriciam theoreticam et practicam docebit ter per dierum hebdomadem, hora XII.

Morbos ossium bis per dierum hebdomadem, diebus et horis deinceps indicandis.

Operationes chirurgicas in cadavere humano publice demonstrabit tempore hyemali, earumque encheiresium rationem vernaculo sermone exponet.

Diebus Mercurii et Saturni Bibliotheca Academica, in Aede D. Iohannis, tempestate aestiva ab hora III in V, hyemali vero ab hora II in IV unicuique patebit.

§. IV.

A die XXVI. *Martii, A.* CIƆIƆCCCXVI., *ad diem* XXVI. *Martii, A.* CIƆIƆCCCXVII., *disputationes publice defensae sunt hoc ordine.*

A. CIƆIƆCCCXVI.

XXV *Sept. Diatribe* de Simplicitate in Euripidis Oreste, *quam, pro gradu magistri Philos. theor. et Doctoris Litt. Human., defendit in auditorio maiori* CASPARUS BAX, Campensis.

XXVI *Sept. Disputatio Academica* de Vi musices ad excolendum hominem, e sententia Platonis, *quam in auditorio maiori defendit* CORNELIUS ANNE DEN TEX, Tilburgensis, *pro gradu Philos. theor. Mag. et Litt. Hum. Doctoris.*

V *Oct. Dissertatio* de Haemorrhoidibus, *pro gradu Doctoris Medicinae, defensa in Senatu a* IOANNE BAPTISTA SPYCKET, Chimacensi.

VIII *Oct.*

VIII *Oct. Dissertatio* de Arthritide, *quam, pro gradu Doctoris Medicinae, in Senatu defendit* CAROLUS AUGUSTUS BEUMIER, e Iamappa Hannoniensis.

XI *Dec. Dissertatio* de Dysfenteria, *quam, pro gradu Doctoris Medicinae, in auditorio maiori defendit* OLIVIER BRIXHE, Leodiensis.

XX *Dec. Dissertatio* de Morbo Scrofuloso, *in Senatu defensa a* FRANCISCO PARADIS, Binchemensi, *pro gradu Doctoris Medicinae.*

A. CIƆCCCXVII.

XIV *Febr. Specimen Medicum*, de Usu Medico muriatis hydrargyri oxydulati in morbo inflammatorio, *quod, pro gradu Medicinae Doctoris, in auditorio maiori defendit* SAMUËL DE BRUIN, Arnhemia Gelrus.

§ V.

Die XXVI. *Aprilis, A.* CIƆIƆCCCXVII. *Vir Clarissimus*, D. DYLIUS, *postquam ab illustrissimis Academiae Curatoribus more legitimo ac solenni esset inauguratus in senatu, Medicinae docendae munus auspicatus est habita oratione;* de raro

me-

medicorum principum proventu, ad amplificandam tamen Medicinam sufficiente. *Haec oratio hoc annalium volumine descripta est.*

Quum in annum Academicum, a natalibus Academiae A. CIƆIƆCCCXVII. *incipientem, e decreto Regis augustissimi, Rector Magnificus designatus esset Vir Clarissimus*, PHILIPPUS GULIELMUS VAN HEUSDE, Philos. theor. et Litt. Hum. Prof. ord.; *partes vero Graphiarii Senatus, in concessu Curatorum, adiunctis Rectore et Adsessoribus, mandatae essent Viro Clariss.* FREDERICO LUDOVICO SCHRÖDER, Mathes. et Philos. Nat. Prof. ord.; *secuta est die* XXVI. *Martii A.* CIƆIƆCCCXVIII. *solennis horum virorum inauguratio. Quibus peractis, Vir Clar.*, IANUS BLEULAND, Med. Prof. ord., *munere Rectoris se abdicaturus, orationem habuit:* de vitae fructu, quo animalibus praestant homines, e corporis etiam fabricatione conspicuo. *Hanc excepit enarratio eorum, quae sui magistratus anno adversa acciderint Academiae et prospera. Victorum porro in certamine literario recitatis nominibus, praemiisque solenni ritu distributis, indixit quaestiones denuo propositas. Tandem vero novum proclamavit Rectorem Magnificum.*

§. VI.

§. VI.

In Athenaeo Harderoviceno, a natalibus eius, die XXV. *Iunii, A.* CIↃIↃCCCXVI. *ad natales Anni sequentis, docuerunt Viri Clarissimi,*

IOANNES ANTONIUS LOTZE, Theol. Prof. ord.

IOANNES OTTO ARNTZENIUS, Iurisprud. Prof. ord. *h. t. Graphiarius.*

THEODORUS GERARDUS VAN LIDT DE IEUDE, Anatomiae et Physiol. Prof. ord.

IACOBUS VOSMAER, Botan. Chem. et Pharmaciae Prof. ord.

BERNARDUS NIEUHOFF, Philos. theor. et Nat. Prof. ord. *h. t. Rector Magnif.*

IACOBUS AMERSFOORDT, Lit. orient. Prof. ord.

CASPARUS IACOBUS CHRISTIANUS REUVENS, Lit. Graecar. et Latinar. et Historiae Prof. ord.

§. VII.

Lectionum et exercitationum in Athenaeo Harderoviceno habendarum hic ordo fuit descriptus.

In

In FACULTATE THEOLOGICA.

Ioannes Antonius Lotze, *Theol. Doct. et Prof.*, Scholas habebit quater hebdomade; diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, horâ IX. *Historiam ecclesiasticam* enarrabit; horâ autem X. *Theologiam Theoreticam* docebit; horâ XI. denique, duce Keilio, *Hermeneuticam* tradet, et *primam Petri epistolam* interpretabitur: Bis, diebus Mercurii et Saturni, horâ IX. *Christianae morum disciplinae partem alteram* exponet; Bis item *Encyclopaediam* et *Methodologiam Theologiae*, aut *rationem fungendi munere doctoris Christiani*, duce Boersio, tractaturus est. Ceteris Commilitonum desideriis non defuturus.

In FACULTATE IURIDICA.

Ioannes Otto Arntzenius, *I. U. D. Iuris Civilis Romani, nec non Hodierni, Professor ordinarius.* In domesticis exercitiis, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, horâ IX, *Ius Naturae;* iisdem diebus horâ XI, *In-*

ſtitutiones; horis et diebus deinceps indicandis *Pandectas* docebit.

In FACULTATE MEDICA.

THEODORUS GERARDUS VAN LIDTH DE IEUDE, *Matheſ. Mag. Philoſoph. Natur. Doctor. Anatomiae et Phyſiologiae Profeſſor ordinarius*, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, horâ ânte meridiem X, tradet *Elementa Anatomiae corporis humani*; horâ XI *Phyſiologiam* docebit. Diebus Martis et Iovis, horâ pomeridianâ I, *Zoölogiam cum Anatomiâ coniunctam* exponet. Tempore autem hyemali, horis commodis, *Corporis humani fabricam cadaverum ſectionibus illuſtrabit.* Publicis denique lectionibus *ſelecta quaedam Zoölogiae capita* tractabit.

IACOBUS VOSMAER, *M. D. Botanices, Chemiae et Pharmaciae Profeſſor ordinarius*, ſequentes habebit ſcholas: De *terminologiâ botanicâ et plantarum historiâ*, diebus Martis et Veneris, horâ VIII matutinâ; *De plantarum naturâ*, die Lunae, horâ XII; *De Chemiâ univerſâ*, eâdem ho-

horâ, diebus vero Martis, Mercurii, Iovis et Veneris; *De Pathologiâ*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ IX matutinâ; *De Pharmacologiâ*, eâdem horâ, diebus Iovis et Veneris.

Porro *institutiones medicas*, *ad praxin medicam ruralem adaptatas*, belgico fermone, id rogatus, exponet. Nec deërit occafio pertractandae *theoriae chirurgicae*, atque *artis obftetriciae*.

In FACULTATE PHILOSOPHICA.

Bernardus Nieuhoff, *A. L. M. Phil. Doct. eiusdemque facultatis*, *ut et Mathefeos et Aftronomiae Profesfor Ord.*, in domefticis exercitiis, horâ IX matutinâ *Logicam* et *Mathefin*; horâ III pomeridianâ *Phyficam experimentalem*; horâ IV *Metaphyficam*; *Vitae felicis praecepta*, et *Philofophiae practicae fundamenta*, horâ XI fingulis diebus, tradet. Ad ordinaria disputandi exercitia, de primariis Philofophiae theoreticae et practicae quaestionibus, fuos invitat commilitones, ceterisque ipforum, qui Philofophiae cupiditate ferantur, petitionibus, lubens, quantum in fe est, faciet fatis.

In FACULTATE LITTERARIA.

CASPARUS IACOBUS CHRISTIANUS REUVENS, *Iuris Licent. Lit. Graec. Lat. et Histor. Prof. Ordin.*, ſcholas habebit quater hebdomade, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, horâ XI ante merid. *Latinas*, *de fabulâ* TERENTII, *et Oratione aliqua* CICERONIS, *et de* OVIDII *Heroidibus*; Quater item hebdomade ſcholas *Graecas*, quibus XENOPHONTIS *memorabilia*, *loca quaedam e Selectis Principum Hiſtoricorum*, *ed.* WYTTENB., *et* HOMERICAE *Odysſeae Rhapſodiam* tractaturus est; Quinquies hebdomade, ſcholas de *Historiâ Univerſali*; bis, *de Antiquitatibus Romanis*; bis item, *de Antiquitatibus Graecis*. Quibus omnibus tempora Auditoribus opportuna conſtituet.

IACOBUS AMERSFOORDT, *Theol. Doct.*, *Liter. Orient. Prof. Ordin. Linguae Hebraicae elementa* tradet ſecundum N. G. SCHROEDERI *Inſtitutiones*, adiunctâ exercitatione *Analyſeos Grammaticae*, diebus Martis

tis, Mercurii, Iovis et Veneris, horâ VIII. Nonnulla *Iesaiae Vaticinia* interpretabitur, diebus Mercurii et Veneris horâ X. *Antiquitatem Hebraicam* exponet, diebus Martis et Iovis, horâ X. *Alias literas Orientales* docebit, diebus Lunae et Saturni, horâ X.

§. VIII.

Honores Rectoris et Graphiarii Athenaei in annum sequentem denuo sunt collati in eosdem Viros Clarissimos, B. NIEUHOFF *et* I. O. ARNTZENIUM. *Rector vero Athenaei Natales celebravit oratione solenni*, pro nostra aevi hora, humanitatis felicius amplificandae, praenuncia. *Deinde exposuit, quae hoc anno ipsis Athenaei natalibus commemoranda viderentur.*

DA-

DANIËLIS DYLII

ORATIO,

DE

DE RARO MEDICORUM PRINCIPUM PROVENTU, AD AMPLIFICANDAM TAMEN MEDICINAM SUFFICIENTE.

PUBLICE HABITA

DIE XXVI. APRILIS MDCCCXVI.

QUUM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM SOLEMNITER AUSPICARETUR.

ORATIO.

Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, Viri gravissimi, amplissimi, magnifici!

Qui in Regno Belgico, in hac Regione, aut hac in Urbe, rebus publicis administrandis, iustitiaeve vindicandae praeestis, Viri nobilissimi, splendidissimi!

Academiae Rector, caeterique artium ac disciplinarum Professores, Viri clarissimi!

Chirurgicae et Obstetriciae Artis Lector expertissime!

Divinorum oraculorum Interpretes, Praecones doctissimi, venerandi!

artium doctrinarumque Doctores consultissimi, expertissimi, acutissimi!

Cives et Hospites omnis ordinis, loci ac dignitatis, acceptissimi!

Vos etiam, Cives academici, ornatissimi, spes parentum, patriae, humanitatis!

Mirum profecto nemini vestrum videbitur, dicere incipientem me magnopere perturbari ac commoveri; neque leves ſed ſummae perturbationis agitant me concutiuntque causſae; et maiores etiam, quam vulgo, in dicendi initio et ipſâ in dicendo imperitiâ, commovere ſolent Oratores. Etenim Numinis Divini favore in ſplendidâ hac tantorum hominum luce poſitum me video, cui, non longo abhinc tempore, ex gra-

gravisſimo et periculoſisſimo morbo fatalis imminebat rerum exitus; Numinis vero Divini beneficio reſtituta est iam eum in modum ſanitas, ut, qui latuisſem forte in ſepulchri ſquallore ac tenebris, fauſtâ mihi hacce die, novam quaſi vitam ingresſo, mihi meisque reddito, in hac doctisſimorum hominum coronâ frequentique virorum omnis doctrinae conſesſu, verba facere liceat; quae omnia profecto tanta ac talia ſunt, ut iustae omnino ſint excuſandi rationes ab animi commotione vehementiori, mihi excitatâ, cum ex gratisſimâ erga Deum, mearum rerum arbitrum, mente, tum ex vestro in hunc locum amplisſimum ſolemni concurſu; dicentem itaque ſic audite, ut nihil magis cogitetis prodesſe ad felicem ſuſcepti operis exitum, quam ſi laeto benevoloque, quali vos esſe perſpicio, vultu ſuſtineatis oratorem, imperitum quidem, ſed honorificâ ſuorum Auditorum existimatione plenum, modestum, loci dignitatisque vestrae imprimis memorem.

Cogitantem vero de Orationis materie, et a loco in quem adſcendi, et a perſonâ quam ſustineo, haud alienâ, presſit me difficultas, ex Medicinae ambitu, eam eligendi, quae con-

conveniret omnibus, et ad omnium captum et intelligentiam esſet accommodata, non neglectâ imprimis, quae, publicis ſolemnitatibus, cuiusvis ordinis Auditoribus debetur reverentiâ, quâ in re medici oratores caeterarum disciplinarum oratoribus infeliciores fere ſemper exſtitere, cum ex ipſius disciplinae naturâ, tum ex rarâ inter medicos facundiae et eloquii famâ. Attamen, annuentibus vobis, A. A. H. H. talem invenisſe materiem mihi viſus ſum, ſi dixero, et breviter quidem, ut hac ſaltem dote ſe mea qualiscumque commendet Oratio:

De raro Medicorum Principum proventu, ad amplificandam tamen Medicinam ſufficiente.

Volventi mihi ſalutiferae Artis annales, atque in immenſam illam medicorum copiam intuenti, a quibus famam atque existimationem, post hominum memoriam, medica acquiſivit disciplina, movit admirationem hoc imprimis, neque pari operâ, nec ſimili etiam laudis fructu, ad disciplinae proſperitatem contulisſe illos omnes, quos medicos praeſtantiores omnis aevi celebravit Historia; alios enim fuisſe, qui diligenter aliquam disciplinae partem co-

colendo atque perficiendo, laudem meruerint haud vulgarem; alios, qui fortuito quidem inventa atque detecta, industriâ singulari ulterius perficerent, et sic, Medicinae maxime prospiciendo, magnam nominis celebritatem consequerentur; paucissimos vero inter omnes reperiri illos, a quibus universa Artis Medicae forma in melius mutata sit, quique adeo Parentes Principesque huius disciplinae sint salutandi, Medicinae tam faustis ominibus Principatum tenentes, ut, quamvis rari, suâ tamen excellentiâ suffecerint ad conciliandam Medicinae eam dignitatem, quam consecuta fuit, Historiâ teste, non quidem multorum, sed paucorum Principumque virorum fortunâ perfecta atque amplificata. Quae meditantem atque in Medicorum horum illustrium rari proventus caussis intentum, sapientissimi Baconis Verulamii mirifice me movit sententia, utpote eam, quam tractandam sumsimus, plane continens exhibensque materiem. „*Medicina* (inquit) *adhuc taliter est comparata, ut fuerit magis ostentata, quam elaborata, magis etiam elaborata, quam amplificata, cum labores in eam insumpti, poti-*

„ *us in circulo, quam in progressu se exercue-*
„ *rint*" (*). Quae sententia, a summo viro suâ aetate prolata, uti modeste de salutiferâ hac Arte iudicare nos docet, sic ex ipsâ quoque Medicinae omnino illustratur Historiâ. Subtiliter nempe distinxit ille inter eos qui elaborarunt, et illos qui amplificarunt disciplinam, medicos; illorum, ut nos nostro tempore, ita ille suo insignem uberemque viderat proventum; horum vero valde exiguum numerum quum observaret, amplificatam minus, quam elaboratam Medicinam pronuntiavit, et ita quidem vere, ut ex hac ipsâ eius animadversione, summis medicis sui indicentur tituli atque honores. Etenim levioris est operae aliquem disciplinae locum animadvertere, ad hunc illustrandum omnem industriam et diligentiam impendere, deditâ adeoque operâ quandam disciplinae perficere partem, quam summam eorum, quae singuli ad perficiendam disciplinam contulerint, perspicere, aut omnium in elaborandâ disciplinâ laboribus ad totius disciplinae formam emendandam sollerter uti, et in ipsâ et universâ scientiâ quasi ha-

(*) *De Augm. Scientiar. Libr. IV. C. II.*

habitare, illius vitia lacunasque detegere, desideranda ante oculos habere, uno verbo, disciplinae novam plane formam creare, limites eius extendere, et Medicinae ut ita dicam imperium tenere; hoc demum medici amplificatoris est, hoc difficillimum opus, haec non interiturae gloriae et immortalis nominis seges, haec omnia ad Medicum Principem, ut magno et splendido hoc utar nomine, formandum, me iudice, requiri videntur.

Tales autem quos delineavi, tantosque Principes medicos, paucos habuit Medicina; rem vero bene perpendenti patebit, plures eam habere non potuisse, sed paucos illos suffecisse ad amplificandam Medicinam, nempe ut amplificatam eamdem gaudemus, quae sententia iam ulterius explicanda est.

Scilicet ab omni aevo disputatum est, ratione an experientiâ magis perficeretur Medicina, praeponderante tamen eorum sententiâ, qui illam experientiâ maxime perfici censerent, si rationis luce, quantum oporteret, collustraretur; id enim ni fiat, futurum est, ut vel ad speculatores subtilissimos, vel ad ignavos omnino empiricos pertineant, qui se medicos profitentur,

tur. Fuit autem ea Medicinae fortuna, ut ſemper tanquam perpetuâ agitaretur vicisſitudine; hinc alterum quoque intelligitur perſpicacisſimi Baconis effatum: „ *Medicinae impenſos labores, in circulo magis quam in progresſu ſe exercuisſe*" quippe inter rationis et experientiae, tamquam duo quaſi extrema, puncta ſemper agitata Medicina, ſic continuis rerum converſionibus obnoxia fuit, ut altera alteram ſemper ex ſe gigneret. Factum inde, ut circuli quidem, progrediente tempore, ſemper maior fieret ambitus et circumferentia, ſed a rectâ viâ perfectionis metam verſus progredi plane prohiberetur disciplina, a circuli ambitu auctiori, auctâ quidem ipſâ in dies, ſed non in totum perfectâ. Hinc rationum ſectarumque inmenſa multitudo; hinc, post certa tempora, et, ſi ſic vocare liceat, periodos proſperitatis, redeuntes tenebrarum et calamitatum in Arte vices; hinc, ut in rerum humanarum curſu, teste quoque Historiâ, post certa quaedam temporum intervalla redit opinionum atque eventuum ſimilitudo, ſic in Medicinâ quoque factum videas. Quippe conſtans obſervatio est, proſperitatis in arte periodos ortum ſemper ducere a re-

rerum ſtatu minus felice, progrediente tunc ipſâ felicitate, ab excultâ minus Arte, aut per ſe ipſam, tamquam neglectu, in deteriora vergente, aut a vicinarum et iunctarum cum illâ doctrinarum, ut Philoſophiae, Mechanices, Chemiae ſimiliumve, praegravi mole atque pondere oppresſâ; neglectâ imprimis, has inter turbas, Naturae in ſtatu ſano et morboſo iustâ obſervandi ratione, et quae hinc naſcitur iustâ quoque agendi ratione omisſâ.

Ad talium vero periodorum proventum requiri maiora vel minora temporum intervalla liquet; hinc ſub infelice in arte rerum ſtatu, commodum tempus est, ad viri Principis felicem proventum, quo ſemel ſceptra tenente, regnique imperio potito, licet in artibus doctrinisque non valeat imperium ullius, et, quamquam non imperante, inter aequales attamen eminente, caeteri quidem ad elaborandam Medicinam concurrunt, Ille vero ad inſtaurandam, amplificandam et perficiendam ſcientiam, unus a naturâ factus videtur.

Medici itaque Principis ante alios dignitas, non ad ſolam referenda est, quâ caeteros antecellit, praeſtantiam, ſed omnino quoque ad tempo-

po-

porum, quibus existit, rationem, nam et exstat aliquando agitque Medicus princeps, quamvis eum non attendant coaetanei; cumque haec minus prospera tempora non exiguis, sed longissimis aliquando, annorum intervallis contineantur, hinc raros illos fuisse, et raros esse debuisse, ex iis, quae diximus, cuivis facile patebit.

Exigui vero rarique huius proventus haec est maxima utilitas, et in Medicinâ hic praesertim fructus, ut, Artis rebus in meliorem conditionem dispositis, amplificatâ per medicum Principem scientiâ, aureo, ut ita dicam, enato saeculo, per medici Principis eximiam, quam rebus desperatis attulit opem, felicitatis longa post eum currant tempora, non annorum, sed saeculorum aliquando spatiis metienda; vigente eius doctrinâ et salutarem vim exercente, scriptis scholisque propagatam; ita ut formatus temporibus ipse Princeps, posteriorum temporum formator ipse quoque dici haberique mereatur. Cuius quidem Principis medici opera ac labores, ad amplificandam Medicinam, si ad Naturae confirmata sint iudicia, nec in opinionum commentis posita reperiantur, maximâ co-

ae-

aetaneorum extolletur laude, et, quamdiu Arti ſuus conſtabit honos, posterorum gratâ celebrabitur memoriâ.

Et haec A. A. H. H. quamquam ita in genere, teste experientiâ ſolent evenire, et ab ipſâ Principum medicorum, quos adducere animus est, Historiâ confirmantur, est tamen ea nostrae disciplinae indoles, ut non tantum univerſa eius forma, ſed ſeparatae aliquando partes, a diverſis inventoribus, et industriâ nonnullorum elaborantium nonnumquam maxime perficiantur, immo vero quod horum adeo opera in emendandâ atque amplificandâ Medicinâ ſummae perſaepe ſit utilitatis. Porro disciplinae medicae in eo diverſa est a reliquis disciplinis indoles, ut, quum experientiâ imprimis perficiatur, longâ variâque experientiâ habeat opus, magnoque experientium medicorum numero, quorum collectâ experientiâ, casti ratiocinii ope, regulae in medicando conduntur tales, quibus, ſicubi ulteriore experientiâ reperiantur verae, Medicinae accedit illustre augmentum, ipſaque amplificatur Medicina; huius ergo facies non, ut nostris temporibus mutatam vidimus Chemiam, ſingulari aliquo invento in totum potest mutari.

Ita-

Itaque concedimus, non sine aliquâ difficultate, ut in omni aliâ re, poni certos quosdam limites, inter illos qui elaborarunt, et inter illos qui amplificarunt Medicinam, ut voluit Baco, cum non semper exacte adeo facileque limites illi ponendi sint, et ipsa nonnumquam amplificandi opera habenda quoque sit, quae in aliquâ parte elaborandâ consumitur. Sed tamen amplificasse is demum vere dici potest, qui non tantum ad disciplinae augmentum atque amplificationem aliquid contulit, sed maxime, qui universam disciplinam amplificavit, usus amplificatorum singulorum, elaborantiumque, ut ita dicam, operâ ad disciplinae eam formam eamque dignitatem conciliandam, quâ tamquam appareat nova, adaucta aliorum paecedentiumque inventis; atque ita stabilita, ut eventu successibus probato, novam periodum iniisse disciplinam constet, praeterlapsâ digniorem, suâque pefectione maximae utilitatis, non tempore tantum, quo splendidior quasi resurrexit disciplina, sed quamdiu renatae huius disciplinae felicitas durat, tandem, Historiâ teste, denuo ab infeliciore rerum conditione excipienda; quae ipsa rerum instabilitas non in Medicinâ solâ, sed in

re-

reliquarum quoque ſcientiarum, ad Medicinam pertinentium, inconſtantiâ quaerenda mihi videtur.

Circumſpicienti itaque mihi Principum Medicorum opera in amplificandâ Medicinâ, et quomodo, quamvis rari, amplificandae ſcientiae ſufſecisſe viſi ſint, diverſis quidem modis ipſos utilitati disciplinae proſpexisſe video medicos Principes, et amplificandi non unam eandemque reperiri rationem modumque; Tribus autem viis disciplinae promoveri augmentum mihi posſe videtur; aut enim obſervationum, inventionum, rerumve repertarum cumulo augetur disciplina, quâ operâ et disciplinam amplificasſe aliquo modo dicendi illi, qui congerendo, inveniendo, experiundo ipſas Artis auxerunt divitias, rerumque iam notarum theſauros ulterius locupletarunt, quae prima est amplificandi ratio, Baconis ſenſu, elaboratio. Altera, quae est amplificatio totius disciplinae, ſpectat eius univerſam mutationem, tumque fieri videtur, ſapientisſimo conſilio Principis medici, ſi, vitioſâ disciplinae formâ exſistente, novam plane indicet viam, quae est ſequenda; Talis erat regia ab immortali medicinae Parente monſtrata via, ex-

cus-

cusſo opprimentis Philoſophiae ratiocinationumque iugo, de qua mox dicendi locus erit; Ultima tandem ratio conſiſtit, non adeo excogitando, aut fingendo aliquo ſystemate, quo promoveatur an turbetur disciplina, dubitatur merito, immo vero quo ſystemate, tamquam ſomno, quaſi ſepelitur Medicina, et ulteriores ad eam perficiendam labores retinentur; ſed innovando totius disciplinae quaſi obſoletam faciem, retinendo, quae vera, indubitata, Naturâ et Experientiâ testibus, prior aetas invenerat, copulâque indisſolubili haec iungendo cum iis, quae posteriora repererunt tempora, eaque adaptando ad hodierni temporis rationem, et ex illis, quibus medicus Princeps vivit, temporibus, ſummâ cum ſagacitate, utilisſime reperta ſuos in uſus ad disciplinae amplificationem colligendo, etiam a disciplinis, cum Medicinâ arcto iunctis vinculo, mutuando, quae ad disciplinae proſperitatem floremque facere posſe videntur, licet non permittat medicus Princeps, ut ab iis ipſis medica quaſi opprimatur disciplina.

Hinc cum in emendandâ amplificandâque Medicinâ, diverſâ licet utrique eminuerint ratione

ſic Principes medici ambo, tum excellenti praeſtantiâ, tum ingeniorum ſimilitudine, et ſucceſsuum felicitate paene inter ſe pares, alter, divinus Artis nostrae parens Hippocrates, alter, terrarum nostrarum immortalis gloria, Hermannus Boerhaavius, hos tamquam exemplum liceat producere eorum, quae huc usque propoſita fuere. In horum vero Principum medicorum laudibus occupato, quamquam meâ longe ſuperiores laude, ne antiquitatis ſervilem mihi quis vitio vertat exprobetve venerationem, tamquam per hos ſolos, quibus tamen maiores nec unquam ulla vidit aetas, ſtetisſet Medicina, nec poſterorum operâ aut fuisſet perfecta, aut ulterius perficienda. Abſit a liberali, nec praeiudicatâ opinione imbuto cuivis, noſtrâ aetate imprimis talis ſententia. Sed Principum horum imagines eo magis et prae aliis efferendas esſe duxi, ad confirmandam ſententiam, raros hosce Principes, quamvis diverſâ ratione quemque, ad ſcientiae ipſius amplificationem maximâ quidem pervenisſe felicitate, et emendandae disciplinae liberalem vereque regiam posteris monſtrasſe viam.

Quae vero verba poterunt inveniri, quae tantam

excellentiam, qualis in Hippocrate fuit, exprimant, aut quaenam orationis vis, quae tanti Viri meritis laudandis conveniat. Etenim omnium Ille mortalium primus, quae sit ad regios in Medicinâ progressus, sequenda, viam Experientiae monstravit; Ille, in Philosophorum scholis, Socraticâ maxime, enutritus ac formatus, quid Philosophia in Medicinam valeret; probe intellexit, et a Philosophiâ Medicinam seiunxit. Itaque quo apparebat tempore, omnia ad recipiendum magnum hunc Artis amplificatorem erant disposita; Ars erat divisa et in varias sectas divulsa, magna ratiocinationum de morborum naturâ copia, exiguae ad curandum utilitatis. Infinitus vero exstabat numerus observationum, quae totum illum, pro magno quo erat ingenio, occupabant, conservatarum in Deorum templis, et in sinu familiarum medicarum, quae ante eum floruerant. Has omnes, pro summâ, quâ erat sapientiâ, non collegit tantum, sed itineribus, a se ipso institutis, et ab iis qui in magno eum adiuvarunt opere, scriptis deinde, et continuâ observatione usque adeo auxit, et verborum divinâ illâ, et fideliter ad Naturam compositâ simplicitate descripsit, ut Naturam ip-

fam

ſam tamquam pinxisſe videatur. Ab Illo itaque prima Artis forma est repetenda, qui, Naturâ viam monſtrante, quâ ſit eundum, docuit; ab Illo non ſecta condita, non in arctos ſystematum cancellos redacta ſcientia, ſed liberali, et vero Philoſopho dignâ ratione, ſcientiam perficiendi monſtrata est via, ita ut eiusmodi neglecto abiectoque Medicinae ſtatu fuerit opus, ut tantus, qui corrigeret atque amplificaret eam, Princeps exſisteret, Vir ille raritatis eximiae, et cui plane ſimilem nec praecedens aetas viderat, nec ulla posterum videbit unquam.

Num vero ſuffecit ille ad amplificandam Medicinam? Suffecit inquam, ac ſolus ita ſuffecit, ut, quum ab hoc Viro honorifice dictum ſtudium, ultra viginti ſaecula, non interiisſe agnoſcas, ubi ſapientisſimos ſagacisſimosque, post hominum memoriam, medicos coluiſſe illud obſerves, ubi ſcholam a ſummo conditam Viro, per omne hoc tempus non exſtinctam, ſed variâ fortunâ, pro temporum ratione variâ, florentem videas, ecquid luculentum magis poterit reperiri argumentum, ad unius et rari Medici Principis in amplificandâ ſcientiâ poteſtatem probandam? Ecquid praeſtantius ad aeter-

na Naturae iudiciâ confirmanda, et fundatam in illâ Medicinam, certam, per omnem aetatem, per omnes gentes, per omnes rerum vicissitudines, per omnes denique rationum sectarumque multitudinem duraturam?

Huic vero tanto Viro similem alterum nostra tulit tellus, summum dico Boerhaavium, in cuius magni Viri laudes eo iuvat ire lubentius, quod, factâ eius cum Hippocrate divino comparatione multa adeo sint, quae inter hos convenire reperias, ut magni Viri non aliâ plenius ratione appareat magnitudo. Erat quidem in nostris terris alius rerum status ac in Graeciâ; Artis post tot saeculorum spatium non ea erat apud nos, quae Coi Principis tempore, infantia; nam et hoc sensu, quaecumque sunt artium scientiarumve incrementa, quicumque regressus, auctior tamen ac locupletior, ipso temporum decursu, quoque saeculo aliquid adiiciente, progreditur disciplina; sed quo tempore Boerhaavius florebat, vel ut melius dicam, florere incipiebat, abiecta erat omnino sterilisque per universam Europam Medicinae conditio; Chemicorum sive Alchemistarum potius scientiae pondere obruta iacebat Medicina, somni

niantium de acidis et alcali fermentantibus morborum caussis figmenta, alia, quae enarrare longum, erant in usu, omnia uno verbo disposita, ad amplificatoris et magni illius et rari Viri proventum exspectandum. Et in summo Boerhaavio, cuius vitam scripserunt multi, magnitudinem vero et celebritatem, quibus adeo excelluit, critice disquisivit nemo, tamquam Principe Medico; multae omnino maximaeque apparebant dotes ad amplificandam Medicinam, ut verius disciplinam amplificasse quam instaurasse dici possit. Nam instauratoris titulus ipsi maxime conveniret, si quando veterem collapsamque scientiae formam in pristinam restituisset, quod quidem quoad studium Hippocraticum fecit, cuius ipse commendaverat instaurationem; universae vero Medicinae statum emendavit, eamque suis aliorumque suo tempore praestantium ingeniorum inventis usque adeo adauxit, illorum labores suos in usus ita vocavit, temporis, quo vivebat, in diversis disciplinis excellentiam adeo adhibuit, et praesentis aevi commoda atque emolumenta cum veterum, Hippocraticae

maxi-

maxime ſcholae, praeſtantiâ et ſimplicitate ſic iunxit, ut ab hac imprimis ſapientiâ temporibus futuris in exemplum proponi, et ſummis ſemper laudibus cumulari debeat. Immo vero ſi Vir magnus in explicandis morbis mechanicam aliquanto magis fuerit ſecutus ſententiam, quo vituperio posteri magni Viri memoriam nimium petiverunt, non tamen mechanicus erat dicendus medicus, qui omnium maxime naturae obſervandae ſtudium adeo commendavit (*). Ab hac vero univerſam disciplinam complectendi augendique, quâ excelluit virtute, maxime quidem mihi repetenda videtur ratio, quâ ſuâ aetate per totam Europam haberetur Princeps, aliisque longe praecelleret, hosque ipſos ſuo ob-

(*) Hinc non ferenda iniuria magni Viri Manibus illata a Francico, caeterum haud indocto, medico C a b a n i ſ i o, ſic ſcribente: „ *ſans doute ce non, justement illustre, vivra dans la Postérité, ſi non comme celui d'un genie eminent et veritablement philoſophique, dumoins comme celui d'un profesſeur tres laborieux, tres habile, et d'un ecrivain tres elegant*". Coup d'oeil ſur les Revolutions de la Medicine § 14. p. 173.

obnubilaret ſplendore, ſuis interea quoque meritis inſignes, et omnino praeſtantes, uti Gorterum, ſingulari excellentem ingenii acumine in rimandâ interiori noſtri corporis fabricâ et functionibus; et in viciniâ Angliâ Sydenhamum, ſuo loco non niſi ſummâ cum laude nominandum, qui indefesſâ ſuâ morborum Epidemicorum obſervatione, iuxta Hippocraticas leges inſtitutâ, famae immortalitatem et ipſe fuerat meritus.

Talis autem Principis Medici doctrina, quae, ut olim Coi Principis, ſuo tempore totum terrarum orbem famâ ſuâ impleverat, num ad amplificandam, per ſatis longum tempus, ſuffecerit Medicinam, ſi quis quaerat, conſulat ille noſtrarum regionum Hiſtoriam; repetat memoriâ ſcholam a magno Viro conditam, et per Europam univerſam in honore habitam; repetat Gaubii, Viri Illuſtris, merita, et qui huius Academiae famam atque gloriam Arte ſalutari docendâ quam maxime promovit, Ooſterdykii nobilem recordetur memoriam, et tuam quoque Paradiſi! in cuius beneficiis recolendis et laudibus extollendis, non quidem niſi cum vitâ meâ mihi finis erit. Quippe Vir ille A. A.

H. H.

H. H., quem, paucis abhinc annis fato functum, adhuc vicina Leidensis luget Academia, quaenam sanae rationis, solertis ingenii, perfectae cognitionis fatorum nostrae scientiae sit vis atque potestas, edocuit; si quis alius, ille certe, et acerrimâ, quâ erat, iudicandi facultate, perspexerat, quae sit veteris et genuinae Hippocraticae doctrinae praestantia, ita vero, ut et recentiores labores, et in commodum Artis impensas lucubrationes, maxime semper aestumaret; nec mirum ergo si huius Viri decessu, iudicis acutissimi, et temporum, quibus vivebat, perspicacissimi scrutatoris, discipulorum vero, quos habuit, sagacissimi ductoris, et, plura inter pericula atque aberrandi modos, candidi et aperti hortatoris, immensam iacturam fecisse Medicinam sit iudicandum.

Cum itaque ex iis, quae diximus, constituere liceat, veram omnino summi Bacónis esse sententiam, quâ „ *elaboratam magis quam amplificatam Medicinam fuisse*" pronuntiavit, et amplificatorum, quae attulimus, exemplis omnino patuit, raros eos fuisse, attamen in ipso raro suo proventu suffecisse ad disciplinae Medicae formam ac summam prosperitatem, et hinc ulte-

teriores progresſus ſucceſsusque conciliandam, liceat iam in temporum noſtrorum ratione conſiderandâ, Orationis, quae restat, partem abſolvere.

Haec autem tempora perſcrutanti liquet, multa egregie excogitata atque propoſita, alia ad disciplinae medicae ambitum proferendum eximie inchoata ac ſuscepta, plurima denique diverſis modis felici exitu fuiſſe tentata, et in omnibus et magnis istis moliminibus humanae mentis factorum Artis conſideratione habitâ, illud imprimis apparere „ *volvi per gyros et circulos*", ut dixerat Baco, quaecumque ad Artem perſiciendam fuere propoſita, et „ *in circulo magis quam in progresſu ſeſe exercuiſſe*", istos ad Artis ambitum proferendum labores, immo vero talem noſtrâ aetate, et quae hanc aliquantum praeceſſerat, rerum fuiſſe conditionem, ut novatorum, undarum more, ſeſe propulerint opiniones, neque diuturnam fuiſſe, quae praeceſſerat, cuiusque opinionis dignitatem, alterâ alteram excipiente, tantumque unius fere ſaeculi ſpatio tamque uberem fuiſſe opinionum in Medicinâ proventum, ut cum aliâ quâque Artis conditione ex remotisſimorum temporum hiſtoriâ comparari omnino non posſit.

Ete-

Etenim quae mortuo summo Principe Boerhaavio sequuta fuerat aetas, aliis in terris, et in Germanorum praesertim oris, Stahlii, acutissimi Philosophi Medicique viderat felicitatem, cuius magni quidem Viri opiniones, nisi vivae corporeaeque Naturae humanae indagationem, animae eiusque potentiae in nostrum corpus, subtile nimium retardasset studium, forte quidem diuturniore fortunâ fuissent usae; Stahlii, cui quoque in laudis societatem, tamquam de re medicâ multis nominibus bene meritus, iungi meretur Hoffmannus, Stahlii inquam conamina subtilior Culleni excepit doctrina de solidis C. H. partibus, summi etiam Halleri face praelucente, insigniter aucta, quo quidem studio et vacillari omnino coepta sunt fluidorum in morbis considerationis dignitas atque usus, et constitui nova medendi ratio, unice solidarum partium aegritudini, atque adeo per priva adaequataque remedia restituendae intenta, quas opiniones inter medicos variarum nationum et nostros quoque receptas tamquam excepit vel intercepit rursus Stollii, eximii itidem practici, theoria de plurimis, dixeram fere omnibus, morbis,

bis, tanquam primarum viarum bili inhaerescentique eius colluviei adscribendis opinio, et opinioni huic iterum superstructa, et largior, et nociva forte, ab intemperanti nimis usu, remediorum evacuantium purgantiumque administrandi ratio.

Quae postea ad promovendam Medicinam sequuta fuere conamina, aliâ rursus ratione et profuisse et nocuisse quoque visa sunt. Nam ex nuper accensâ luce, quam per Europam universam, pulchrius exiens, et suprâ veteris disciplinae ruinas sese extollens Chemia sparserat, sani corporis et morbosi usque adeo illustrata fuerat natura, medicaminumque et auxiliorum ad morbos tollendos indoles, copiaeque et divitiae usque adeo adauctae, ut infinita omnino sint censenda commoda, quae in Medicinâ attulissent Chemicorum labores ac studia; felicius tamen fortunatiusque cum ipsâ scientiâ fuisset actum, si, qui medentium conamina suâ egregie fulcirent Arte Chemici, ipsi se medicos non fuissent professi, id est morborum curam tali suscepissent ratione, ut ductâ a suarum operationum similitudine, ipsos quoque morbos eorumque sanationem simili adgressi fuissent ratione, probassentque ipsi, quantumvis vituperatâ, quae prae-

praecesſerat ſuperiori ſaeculo, methodo, vitatisque aliquantum prioris veterisque modi erroribus, nec novam quoque ſine his esſe Disciplinam, fallique omnino illum, qui in hominum morbis, non vivae eiusdem animataeque indolis, ſuis propriisque legibus agentis, habeat rationem.

Chemicorum in Medicinam vigente adhuc imperio et potestate, iam quoque exortae novae rationes, rurſus nova condi ſunt coepta ſystemata, novae ad limites Artis extendendos excogitatae viae, novi aperti et proſperitatum et calamitatum in Arte fontes; quarum vicisſitudinum historiam exponere cum non ſinant et locus et tempus et Auditoribus reverentia debita, cogitando tamen asſequi me doctrinam coniiciet quisque illorum, qui non relictâ tantum theoriâ Chemicorum, ſed ſpretâ quoque Experientia priorum temporum, novâ excogitatâ medicandi ratione, inter arctos ſystematis cancellos, non ſtricti et laxi, quâ in re T h e s ſ a l u m antiquitus iam decesſorem habuerant, ſed vagâ diviſione morborum, excesſu defectuve virium vitalium, non ſatis firmo fundamento, eorumdem adgrederentur curam. B r o w n i i eiusque

ſec-

fectatorum intelligo doctrinam, et ex illâ doctrinâ progenitam Incitationis, ut vocatur, multarumque aliarum rationum systematumve historiam hic non protrahendam; quarum quidem opinionum, quantumvis modum excedentium, qui Artis fata penitius contemplatur, non omni quidem utilitate caruisse copiam et diversitatem censebit, immo vero medios inter hos rumores tumultusque, sapientioribus prudentioribusque Medicorum filiis fuisse visum, Iliacos intra muros extraque peccari, et dignas omnino esse vitales vires ut earum in morborum curâ habeatur ratio, ne pessumdentur methodo sive expectante et nihil moliente, hacque ipsâ male intellectâ, aut, quod peius, gastricâ severe nimis adhibitâ contererentur et irreparabili deperderentur ruinâ.

Itaque, tamquam si conversionum in Arte non sufficeret numerus, non substitere hic Medicinae impensi labores; Quae in initiis Artis, et Hippocratis tempore quoque, infantili Artis aetate, Artem oppresserat Philosophia, pondere suo nostris quoque diebus oppressit Medicinam, immo nonnullis terrarum in locis opressit adeo, ut, relictâ longiori nimis visâ

Ex-

Experientiae viâ, ſtatui oportere a priori, ut vocant, ſit iudicatum, non quid fiat, ſed quid fieri debeat; ſomniatum de excogitando Artis Organo, philoſophatum de perficiendâ Arte, quam multis nominibus inperfectam ſemper esſe debere cenſebunt rerum aequi iudices, atque ſic infelici Philoſophiâ, quae a Naturâ nomen habet, Medicae disciplinae arctata potius quam extenſa pomoeria. Non quod non laudandum cenſeremus humani ingenii ardens illud ſtudium ad perfectiora quaevis attingenda, quod nostrâ imprimis aetate, in immenſo illo ſcriptorum de re medicâ proventu emicuit, et quod in mutandâ ſcientiae medicae formâ intentum adeo apparuit, ſed illud quidem per ſe laudabile ſcientiam promovendi ſtudium quosdam adeo abripuit, ut obliviscerentur in Arte ſalutiferâ, non impetu neque ardore, ſed ratione et longi temporis Experientiâ viam ad progresſus muniri, nec istis conaminibus quidquam profici in brevitate huius vitae, niſi ſine fructu breviorem reddendi Artem, quam longam esſe verisſime adeo pronunciaverat Cous Princeps.

Leviter itaque iam illâ, et quantum ad propoſitum fuerat necesſe, adumbratâ nostrorum tem-

temporum Historiâ, A. A. H. H., liceat iam Orationis contrahere vela, finiamusque eâ in opinione, ob quam omnis huc usque habita haec et instituta fuit commemoratio.

Nimirum vixisse nos eâ temporum conditione apparet, ut conversiones conversionibus succedentes, quam brevissima reliquerint intervalla inter novum quemque renascentemque Medicarum rerum ordinem, ipsumque tempus celeri adeo praeteriisse cursu, ut vel damna, quae attulerit quaeque mutatio, diu satis perciperentur, vel fructus, quos revera si non habuerint, at certe potuissent habere, rerum mutatae formae gustarentur satis; dum in toto hoc tumultu et continuâ rerum vicissitudine attento et perspicaci scrutatori illud imprimis attentione dignum videtur, an non multitudo turbarum et conversionum in Arte et ipsa se composuerit, innovandi miscendi mutandi libidine, ad politicas totius Europae turbas, nostrae quoque olim Patriae adeo infestas.

Iam vero duplici ratione ac viâ res eventu, quae nostris temporibus acciderunt, mihi videntur disciplinae Medicae nocuisse et in se quidem rationes continuisse, cur Viri Medici Principis proven-

ventum, nisi me fallant omnia, qualem delineavi. conspicere haud fuerit datum. Priorem si desideratis, sapiens idem prae ceteris mortalibus dabit illam Baco: „ *alius*, inquit, „ *error est praematura atque proterva reductio doctrinarum in Artes et Methodos, quod* „ *cum fiat, plerumque scientia aut parum aut* „ *nihil proficit; nimirum ut ephebi, postquam* „ *membra et lineamenta corporis ipsorum perfecte efformata sunt, vix amplius crescunt,* „ *sic scientia, quamdiu in Aphorismos et Observationes spargitur, crescere potest et exsurgere; sed methodis semel circumscripta et conclusa, expoliri forsan et illustrari aut ad usus* „ *humanos evolvi potest, non autem mole augeri*" (*). Fuit haec nostrorum temporum culpa; methodis circumscripta conclusaque nunc his nunc illis Medicina mole omnino aucta non fuit; fuit elaborantium illam magna, vere amplificantium, id est, Medicorum Principum copia non item; nec inquieta adeo sollicitaque ad innovandum illa su-

is-

(*) *De Augm. Scientiar. Libr. I. p.* 56.

issset libido, si non viguisset methodorum systematumve creandorum ardor et a creatis methodis systematibusque, sapientioribus Medicis perspectae calamitates dominii sive Chemici, sive Philosophici, sive alius denique. Hinc et enatae sunt tam subito, et evanuerunt iterum vix ortae novae methodi, neque longae valde morae cuiusque fuit imperium.

Alteram caussam, quo minus successerint nuper inventae methodi et rationes in Medicinâ, quaeri, me quidem iudice, debere liquet in inconsultâ innovantium nostri temporis procedendi ratione, quâ ante acti temporis et quae in eo longo rerum usu erant comprobata coniungere cum novissimis quas ipsi tentabant mutationibus neglexerunt omnino utilitatem, tum de Disciplinâ bene meruisse se opinati, cum novâ investirent Disciplinam facie, novamque excogitarent novos, quos finxissent ipsi, morbos curandi viam. Utiliter et philosopho dignâ ratione incautos potuerant iterum monere sapientiae plenissima verba, quae Idem omnis humanae sapientiae protulit magister, scilicet, „ *Antiquitatem eam mereri reverentiam,* „ *ut homines aliquamdiu gradum sistere, et su-*

 „ *pra*

„ *pra eam ſtare debeant, atque undequaque* „ *circumſpicere quae ſit via optima: quum au-* „ *tem de viâ bene conſtiterit, tum demum non* „ *restitandum, ſed alacriter progrediendum*", in quam quoque ſententiam ivit, immo aperte illam ſignificavit Italorum medicorum decus, Baglivius, ſic nempe ſtatuens: „ *Nova non* „ *veteribus esſe opponenda, ſed perpetuo iungen-* „ *da esſe foedere*" (*). Tali itaque rerum, nostrâ hac aetate, tamquam inſtabilitate et in Medicinâ tumultu, memoriâ imprimis repetentibus, ab omni aevo aut ab Experientiae, aut a ratiocinii partibus in promovendâ Disciplinâ medicâ ſummos post hominum memoriam Medicos ſtetisſe, felicisſimas vero Artis periodos tum demum illuxisſe, quum Experientiae, ſani, cauti et ſobrii ratiocinii ope collustratae, primae tribuerentur partes, cur non ex praeteritorum temporum historiâ, ex ſcientiarum fatis, in univerſum conſideratis, coniicere liceret, finito tantisper ſibi ſuccedentium ſystematum diverſorum furore, laetam affulſuram esſe diem, quae orbi medico Principem iterum monſtret Me-

(*) *Libr. I. de Prax. Med. C. I. Mon. 5.*

Medicum, perpetui illius neglectique foederis veteres inter et novos fundamenta ponentem, non sectarum studio abreptum, sed ex omnibus quae conveniunt vertentem in suam rem, neglectisque errorum caussis, quae multitudinem abripiunt, non opinione, non auctoritate sive antiquitatis, sive magistri inductum, per se ipsum verum inquirentem sine sollicitudine, ubinam inveniat veritatem, in hac illâve Scholâ, apud Veteres, vel apud aequales, maxime vero providum, ne occurrentia fingat torqueatque phaenomena ad universalia tamquam posita principia, veritatisque unice adeo amantem, ut ab intolerabili sectarum pertinaciâ et a levitate quoque simul scepticorum puerili abhorreat; Naturae itaque Scrutatorem talem, verum Medicum Principem talem nobis, ad amplificandam Medicinam sufficientem, Reipublicae Medicae caussâ exspectare atque optare omnino liceat.

Et hic quidem luxurianti forsitan in amplo hoc argumento Orationi finem imponere iubent diei huius solennitas et debita vobis reverentia, Illustrissimi Academiae Rheno - Traiectinae Curatores, Viri generis splendore, bonarum li-

terarum cultu, renatae Patriae nostrae amore, multis denique virtutibus insignes! Regis Augustissimi favore ac voluntate huic adscriptus Academiae, Vobis, qui eam regitis, me meaque omnia commendo; multa fuerant sane, quae collati in me ab Augustissimo Rege beneficii nonnihil temperarent laetitiam. Linquenda erat Urbs mihi patria, linquendi in illâ consanguinei, amici, perquam multi aegrotantes, aegre meum decessum ferentes; sed vestris sub auspiciis, Viri Illustres! quoniam vitam studiis deditam ducere licebit, honorificâ in statione, dictorum bonorum omnium iacturam resarciri posse, iubent cogitare vestra, quâ estis, non in literas tantum, sed in literatos, qui eas profitentur, aequalis benevolentia summaque humanitas; quam ego vestram benevolentiam ac humanitatem, quum felicitatis meae fastigium censeam, haud interrupto erga vos studio, et perpetuâ vestrarum virtutum veneratione, in Academiae huius tuendâ gloriâ, et in ipsis meis Academici muneris explendis accurate partibus omni modo demereri conabor.

Utinam vobis, Viri Illustres! plurimos felicesque largiatur Deus Optimus Maximus dies, ut

ut redivivae huius instaurataeque Academiae flore et prosperitate, quam promovetis adeo, in splendido quo insigniti estis munere, diu adhuc gaudeatis; Utinam instaurari inceptam sanitatem, aliquando in integrum mihi restitutam largiatur quoque, ut sic, Vobis conatibus meis annuentibus, si non scientiae, doctrinaeve, ceteris, quibus Academia haec Professoribus gaudet, praecellam laude, at indefesso saltem studio, in Academiae et Iuventutis promovendis commodis, nemini, Vobis Iudicibus, Viri Illustrissimi! inferior possim haberi.

Vos vero cuiusvis doctrinae laude clarissimos compellare liceat huius Academiae Professores, valde honorifico mihi Collegarum nomine salutandos; Vestro adscriptus iam Ordini, sancte Vobis polliceor, neminem habituros vos, vestri Ordinis studiosum magis, neminem admiratione vestrae, quâ praecellitis, doctrinae, magis captum, neminem ad omnia officiorum genera magis paratum, neminem ad amicitiae semel nexa vincula sarta tectaque conservanda animo magis propensum; quae cum cuiusque bene et honeste sentientis sint officia, ad exsequenda tamen illa eo magis compellor,

ex

ex quo omnibus beneficiorum, humanitatis et benevolentiae documentis, novum me vobis hominem, omnes cumulastis ac beastis; ut adeo ex mutuo, quod inter vos inſigne est, concordiae ſtudio, ſi in aliquam eius ſocietatis partem pervenire me ſiveritis, ad quam felicitatem ego me, licet doctrinae meritis inferiorem vobis omnibus, totum tamen commendo, praeclare mecum agi non tantum, ſed fausta quaevis et huic Ordini et huic Academiae, et erudiendae Iuventuti et Patriae praeſagiri posſe non opinor, ſed certa quâdam ſpe confido.

Verum enim vero arctiori etiam necesſitudinis vinculo quum Vobiscum iungar, Viri, in clarisſimo Ordine, ad Machaoniam Artem edocendam praeſertim conſtituti, Vos imprimis compellare, et primo quidem loco Te ſalutare liceat, Celeberrime Geunſi! illo admirationis, illo venerationis profundae ſenſu, quo decet ſalutare Senem, Ordinis huius clarisſimi columen; Academiae Rheno-Traiectinae, per longam annorum ſeriem, decus, Patriae denique nostrae ornamentum. Et profecto, ſi ſenectuti per ſe ſuus ſit habendus honos, quanto maiori Tu honore colendus eris, qui per Nestoream, quàm at-

attigisti aetatem; per ingenii Tui praeſtantiam, eiusque in ipſâ hac aetate ſuperſtitem adhuc vigorem uti in omnibus, ſic in Arte ſalutari et docendâ et exercendâ, tam illustri et inimitabili fere exemplo, vitam viresque impendisti, ut Doctorem Academicum peritiorem, Medicum exercitatiorem, annis denique et famâ inſigniorem Patria frustra quaerat, Tuae itaque partes, in Academico munere, cum mihi non ſint implendae dico, ſed modeste et cum virium mearum diffidentiâ excipiendae, amicitiam Tuam, Venerande Senex! quâ me per plures iam annos honorasti, ne deneges, oro te atque obtestor, ad quam retinendam, uti ſemper ſtudui, ita nunc maxime ſtudebo, tum ex innato, ut quemque decet, ita et mihi quoque, erga ſenectutem ſummae venerationis ſenſu, tum ex praeſtantiâ Tuarum doctrinarum, quibus me, bene de Te merentem, ulterius docere, erudire, in Academico munere rectam viam monſtrare, eruditionis denique et experientiae locupletisſimos, ſi Tibi ſic placuerit, posſes aperire theſauros; atque ita honorum et vitae huius terrestris metas quum attigeris, nec tamen. niſi per aliquod tempus, quod longum nostra Tibi pre-

can-

cantur vota, renatae huius Academiae videris florem prosperitatemque, beatorum regionibus excipiare placido, id optamus omnes, et sine dolore ex hac vitâ secessu, relicto nobis, in quod imitando intueamur, illustri Tuarum virtutum exemplo, gratâque et superstite semper Tui memoriâ.

Vestram vero in tradendâ Medicâ doctrinâ, muneris Academici Socii aestumatissimi, efflagitare mihi quoque liceat amicitiam; quâ quidem si frui mihi contingat, omni felicitatis cumulo beasse vos intelligetis hominem, vestrorum merita venerantem, ut nemo magis, atque virorum excellentium, quales vos estis, consuetudine et familiaritate, tenuis suae doctrinae copiam augendi cupidum, et hanc imprimis tenentem sententiam, cuiusvis generis amicitias plane posthabendas esse illi, quae, inter eruditos exculta, veram quoque promovet eruditionem et ad eximiae in vitâ eruditâ felicitatis percipiendos fructus utilissima est censenda.

Vos vero, Iuvenes, in spem salutiferae Artis succrescentes, sic existimetis velim, diem hancce non adeo studiorum vestrorum Vobis de-

dis-

disse magistrum, sed socium, sed amicum, immo vero talem, qui, quum olim fuerit expertus ipse, quae sit consuetudinis et amicitiae vis eorum, a quibus erudimur, hinc contractâ a se ipso erga Vos obligatione, ad vestram augendam felicitatem, ad vestra commoda promovenda erit paratus, ad Vos, tali ratione erudiendos, ut cum ex hac Academiâ prodeatis, Medicis vobis gaudeat Patria, aegritudinum humanarum consolatoribus peritissimis, Belgarum, in Medicinâ quoque gloriae vindicibus egregiis, ad Artem denique nostram elaborandam, immo vero amplificandam eximie idoneis.

IANI BLEULAND,

ORATIO,

DE

VITAE FRUCTU, QUO ANIMALIBUS PRAESTANT HOMINES, E CORPORIS ETIAM FABRICATIONE CONSPICUO,

PUBLICE HABITA,

DIE XXVI. MARTII, MDCCCXVII.

QUUM

MAGISTRATU ACADEMICO

ABIRET.

ORATIO.

Viri Amplissimi! Academiae Rheno-Traiectinae Curatores, meritis et honoribus illustrissimi!

Qui in regno Belgico, in regione Traiectina, sive in hac urbe, rebus publicis administrandis, vel iustitiae tuendae praeestis, viri gravissimi, integerrimi!

Quarumvis disciplinarum Professores clarissimi! Collegae coniunctissimi!

Lectores eruditissimi, expertissimi!

Sacrarum literarum interpretes facundissimi, fidelissimi!

Cuiuscumque doctrinarum formulae doctores consultissimi!

Ornatissima iuventutis Academicae concio, amor parentum, patriae spes, nostra cura!

Quotquot denique ad festum hunc diem celebrandum huc confluxistis, cives, hospites, acceptissimi, optatissimi Auditores!

Si quis unquam hujus Academiae natâlis dies festus fuit, hic profecto perſolennis, et plus ſolito cultu, ſumma cum religione celebrandus videtur. Miro enim, inexpectato, atque benigno Dei O. M. favore et omnipotenti auxilio, ab effrenatae tyrannidis jugo liberati, Regis optimi et dilectisſimi benevolentia, atque liberâli munificentia redditam huic urbi Palladem ante gaudebamus; nunc vero, non tantum in pristinam dignitatem reſtitutae, ſed honore et gloria etiam amplificatae, uberrimos jucundisſimosque fructus laeto animo percipere nobis omnibus hoc die contingit.

Quis vero ego ſum, qui hujus diei ſolemnitatem publica oratione rite celebrem, cui per

octo

octo fere lustra, inter mortuos aut aegrotantes versanti, vix ullam eloquentiae operam dare licuit? Id vero per omne vitae tempus studiose sum secutus, ut corporis humani, animaliumque mirandam fabricam et functiones, subtiliori examine et indefesso labore, addiscerem, et clinica arte exercitatus miseris opem et solatium afferrem.

Suadebat hoc amor ille incredibilis, quo in anatomiae studium ab ineunte fere aetate ducebar; imo vero jubebat ratio muneris, ad quod antea in Harderovicena, dein in hac Trajectina Academia vocabar.

Quum itaque inter tot tantasque haud intermissas occupationes vix mihi vel horae particula superfuerit, quam elegantioribus literis propriam addicere possem, (quod quidem quotidie, sed eheu! vano desiderio, dolui,) fateri non erubesco, me maluisse modesta excusatione uti, honoremque, qui me expectaret, detrectare, quam hac hora uti, ut meam in dicendo tenuitatem conferrem cum tanta tot collegarum eloquentia et copia dicendi, quas dotes illi tantopere probarunt, ut aliquam hac me hora laudem posse haurire, equidem penitus desperem. Quae vero mihi partes hodie sustinendae sunt, eo erunt

gra-

graviores, quo recentior est illius orationis memoria, quam ex hoc ipſo loco, eademque opportunitate, ſummo eum Auditorum applauſu et admiratione, dixit Cl. Heringa, cum munus mihi traderet, quod ille per quinquennium tanta ſapientia, tanta prudentia, et tam ſingulari gloria, difficillimis etiam temporibus, ita gesſit, ut eum hac in re nemini ſecundum esſe habendum, mecum omnes ſtatuatis lubenter. Animum vero addit jam dicenti, et me recreat cogitatio, nec gloriae captandae aviditatem, neque publice dicendi pruritum in hunc me locum deduxisſe, ſed muneris mihi a Rege mandati rationem, ſed legi ſcriptae parendi officium.

De argumento autem cum cogitarem, tale quaeſivi, quod a perſona, quam ſuſtineo, non abhorreret plane; nec tamen e reconditis disciplinae medicae partibus deſumtum, apud medicos ſolos, vel a iucunditate, vel ab utilitate, aliquam haberet commendationem; quod porro ab huius loci ſplendore non alienum, ſed dignitati et eruditioni ſpectatisſimae Auditorum coronae conſentaneum videretur.

Haec vero cum mecum agitarem, unde quaeſo graviorem dicendi locum peterem, quam ex ipſa

cor-

corporis humani praeſtantia? Scilicet, ſi proſpera et adverſa, quae humano generi in hac vita ſolent accidere, aequa lance ponderemus; ſi perpendamus, quoties ipſum genus humanum ſuam felicitatem turbet; mirabimur certe, omni tempore fuisſe homines, qui, disputantes, num ſumma malorum, quibus homo premitur, vincat ſummam bonorum, quibus fruatur, in deteriorem partem non tantum de hac quaestione pronunciarent; verum eo etiam pervenirent impudentiae ac temeritatis, ut de ſapientisſimi Creatoris opere judicium ferentes, contenderent, fabricam corporis humani talem esſe, quae magis aerumnis et miſeriis hominem objiciat, quam vitae felicitatem tueatur atque conſervet.

Ab ingratis huiusmodi divinae ſapientiae et bonitatis contemtoribus alienus erit, qui re ipſa didicerit, incredibili quodam ac divino artificio ita esſe conſtructum corpus humanum, ut, quo accuratius ſingulas ejus partes, earumque agendi rationes cognoverit, eo ardentius adoret et veneretur ſummi ac divini Creatoris favorem, et ultro fateatur, non impedire innumeras calamitates et miſerias, quibus afflictum ſubinde genus humanum dolemus, quominus, non opinionis levita-

ta-

tate, ſed certa perſuaſione ducamur in eam ſen- tentiam, nihil esſe in univerſa rerum natura, cui (ut taceam animum rationis participem) tot tantique favores ad vitae jucundae felicitatem largiori manu ſint concesſi.

Haec igitur, grato, ut decet, animo, perpendenti haud incongruum mihi videbatur, ſi hac occaſione, ſingula, quae huc pertineant, paulo magis explicarem. Dicam igitur: *de vitae fructu, quo animalibus praestant homines, e corporis etiam fabricatione conſpicuo.*

Quantum externa hominis forma jam primo adſpectu ceteris animalibus antecellat, cum membrorum elegantia, tum vero etiam cutis lenitate, et coloris gratia, tanto; imo maiori etiam artificio, a ſummo Creatore intrinſecus homo conſtructus apparet, mirabili illo contextu partium internarum, quarum ſingulae ad diverſas functiones ſuum tribuunt.

Quod vero ad externae figurae humanae elegantiam attinet, quis quaeſo dubitat ejus excellentiam agnoscere, qui conſideret celſam ejus et erectam coelum intuentis ſtaturam? Hac ſola ſeſe terrarum animantiumque dominum, et, quod

lon-

longe maximum est, unum divini creatoris cultorem declarat, quasi spectatorem rerum superarum atque coelestium.

Miramur sane, hanc veritatem, omnibus bonis et intelligentibus perspicuam atque probatam, hac nostra aetate, novitatis studio, potuisse in partes vocari, ac si homo natura sua quadrupes esset: qua quidem opinione, nescio, quid dici possit, quod magis sit absurdum.

Quod si capitis externam formam contemplemur, eamque cum praestantissimis etiam animalibus comparemus, tanta confestim diversitas apparet, ut, si vel in hac parte sola, singula penitus explorare vellem, omne huic orationi habendae destinatum tempus vix sufficeret.

Quorumnam animalium vultum comparabimus cum facie humana, aperta fronte, genis roseis, oculis acerrimis, ore blandiente, mollissimis labiis, et mento rotundo ornata? Quam elegans verticis et occipitis forma, ad nobilissimi visceris cerebri insignem molem continendam atque tuendam, aptissima!

Quam praestanti, et decora forma eminent partes, quae vel rerum habitum spiritumve referunt ex odoratu; vel quae aëris sonori tremoribus

aptisſime recipiendis deſtinatae ſunt! Quam ſplendidam in colli proceritate admiramur columnam, caput ſustinentem, eidemque quaquaverſum movendo et torquendo aptisſimam! Quam latum porro pectus; quam validi ad onus ſustinendum humeri; quam mobilia in omnem partem brachia et lacerti, ad pondus ingens tollendum, ad caedem in praelio aeque apti, atque ad gratisſimos et tenerrimos amplexus! Brachia inquam, quae non deſinunt in duras calloſasque plantas, aut ungulas equinas, biſulcasve, aut ad praedam dilacerandam confectos ungues; ſed in agiles manus, in flexiles digitos, in quibus inest, cum vis et robur, durisſima metalla gravisſimorum malleorum ictibus flectendi, ſaxaque durisſima disrumpendi et diffringendi, tum vero etiam facultas, fila, telis araneorum ſubtiliora, tractandi et connectendi! digitos, inquam, quos homini natura dedit multorum artificiorum ministros, quorum facilis est contractio, facilisque porrectio, quorum admotione ſonos nervorum ac tibiarum prolicimus, quorum denique ea est affectio, ut tactus ſenſu exquiſitisſimo viſus forte deperditi vicem ſuppleant!

In externa totius corporis forma, quid tandem

est

est in animalibus, quod vel ullo modo cum humana posſit conferri? Dicant pictores, dicant ſtatuarii. Quam gratus est virginei pectoris adſpectus, vel matris ubera praebentis infanti! Contra, quam vim produnt, et ſacrum veluti horrorem incutiunt in musculoſo viro lacertorum tori: dorſum in coxas, femora, ſurasque deſinens! quae partes omnes ſtabili non tantum pede nituntur, verum etiam, et motuum gratia, et virium intenſione, tantam admirationem movent, ut nec in robustisſimo, nec alacerrimo animali quidquam appareat, quod in homine non ſit longe praeſtantius.

Sed ne pluribus A. A. H. H. vobis omnibus cognitam, quamvis forſan, propter conſuetudinem, minus obſervatam, externam hominis formam verbis extollam, accedamus ad propoſiti argumenti demonſtrationem.

Dicat forte quispiam, quid tu tantopere laudas hominis perfectionem? Nascitur homo omnium animalium ſtupidisſimus, ſui ipſius fere ignarus, nullo ad ſe tuendum aut conſervandum praeſidio inſtructus: bruta vero mox, postquam in lucem prodierunt, ſeſe movent, ambulant, ſaltant, victum ſibi quaerunt, imo ad propagan-

gandam ſobolem brevi apta ſunt. Largior haec omnia: ſed ipſam hanc indigentiam alieni auxilii infanti prodesſe contendo. Hic matres mihi testes ſint, quarum ſedula et ſollicita cura, non dico nihil negligit, ſed ſedulo omnia arripit, quae ad infantem fovendum, nutriendum, eumque infirmum a quibusvis injuriis et periculis defendendum, conducant. Quanta ſollicitudine ſtatim a primo nascendi tempore per artem ipſi conſervatur calor! Quanta cura cavetur, ne vicisſitudines aëris, in quem prodiit, tenelli corporis ſanitati noceant! Matrem cogitate, vitae rationem aptisſimam, et utilia tantum alimenta ſeligentem abſtinentemque ab omnibus, quae ſanguinis ſui indolem ita mutarent, ut ſua dote careret lac, quod foetui est praebitura! Infantem porro adtendite, qui, ſuis pedibus cum inſiſtere nequeat, in gremio matris jacet, ſedetve; tutus ab omni periculo et laeſione, quam laudata haec alacritas animalium foetui ſemper et ubivis minatur. Quid ergo in homine reprehendamus lenta, quae capit, incrementa? Imo potius veneremur ſummi Creatoris benevolentiam, hac ratione homini conſulentis, ne, in tenera infantia ſibi relictus, infinitis periculis exponatur.

Sed

Sed ne hic quidem Dei erga hominem cura subsistit. In homine una cum animi viribus increscunt organa, quae sensui et motui inserviunt; quae res in animalibus longe aliter comparata est. Crescunt enim celerius corpora, animi vero vires vix in ullo animalium genere maiorem in modum augentur, quam, ut in posterum ad victum sibi quaerendum et prolem propagandam natura sua duci possint; et quemadmodum cito crescunt, ita brevi decrescunt, et, paucissimis exceptis, citius consumuntur. In homine vero sensim minuitur capitis moles; ossium teneritas et mollities quaedam insignem in modum firmatur; tenaciore vinculo tandem artuum commissurae nectuntur; qui ipsi et amplitudine et robore increscunt, aptique redduntur, tum ad stabilitatem, tum ad omnem corporis actionem. Hoc demum tempore pedibus nititur corporis levitate velox puerulus, quo periculum ex audacia sua praevidere et avertere quodammodo iam possit.

Quid igitur? Scilicet omnia, quae hominem minus perfectum, quam animalia, tenera aetate reddere videntur, in summum ejus emolumentum, summamque felicitatem cedunt.

Sed

Sed quid in hisce diutius moremur A. A. H. H.? Contemplemur hominem adultum, artificiosissimum illud omnipotentis Dei opus, et videbimus, in homine omnia esse, quae in reliquis animalibus vel prorsus non, vel tantum ex parte, et non adeo perfecta inveniuntur, imo, si quae in animalibus appareant perfecta magis, haec, si essent in homine eodem modo constructa, ipsi non prodessent, sed nocerent. Sed agite paucis rem exponamus!

Primarium illud organum attendamus, quod homini commune est omnibus cum animalibus, in quibus purpureus ille liquor, in quo vitam et animum habitare omnes novimus, per venas et arterias in omne corpus, in circuli modum, movetur; hoc organum, si diligenter intueamur, in homine ita constructum videmus, ut partem sui muneris tantum possit absolvere, nisi pulmones succurrant, quibus vapores, qui terram nostram ambiunt, larga satis copia haurire solemus: quod adeo est necessarium, ut, horum functione impedita, cesset actio cordis, cesset hominis vita. Quid ni ergo feliciora sunt illa animalia, in quibus cor sine pulmonum auxilio, liberrima sui ipsius actione, omni munere fungi possit? Haec enim

non

non tantum in aëre libero vivunt, verum etiam aquis merſa vivere pergunt, quibus homo ſuffocatur. At vero, quanta est efficacia pulmonum in omnem hominis vitam; quantus uſus; quanta utilitas; quanta necesſitas; quot commoda, quot oblectationes homini praebet pulmonum et cordis iuncta agendi ratio, quibus illa animalia prorſus deſtituuntur! Perpetua requiritur in homine pulmonum actio, ut calor aequabilis per omnia membra, per omnia viscera diffuſus ſervetur, ut omnes ſucci, partes omnes ſolidae integrae ſerventur ac valentes. Quo vero minus ex inertia pulmonum cordis actio minuatur, ſanguis ex huius altera parte ſatis valido impulſu in vaſa pulmonalia influit, quo ad hauriendum ſpiritum continuo incitantur; hoc ſtimulo deficiente, ſi eadem ſtructura cordis esſet, ac in iis animalibus, quae ſub aquis etiam vivere posſunt, omnis oeconomia turbaretur, omnibusque commodis, omnique voluptatis ſenſu, quem homini libera reſpiratio praebet, privaremur.

Neque ſubſistit humanorum pulmonum uſus in hoc ſolo, ut animam, quae ducta est ſpiritu, excipiant, et ex eo vitam et calorem eodem, quo in animalibus reſpirantibus fieri ſolet, modo conſervent,

ve-

verum tubi aëriferi ſuprema pars ita conſtructa est, ut in ſolo homine etiam exſpirandus aër, qui aliis animalibus vix ullam utilitatem affert, commoda praebeat, nullo ſane pretio aestimanda. Ex aëre enim, quem e pulmone reſpiramus, vocem homini ſuppeditat artificioſisſima laryngis ſtructura; e voce vero per admirabilem machinationem formatur vis eloquendi, quae quam ſit praeclara, quamque divina, e TULLIO audiamus. „ Haec", inquit ille, „ efficit, ut ea, quae ſci-„ mus, alios docere posſimus, hac cohortamur, „ hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, „ hac deducimus perterritos a timore, hac ges-„ tientes conprimimus, hac cupiditates iracundias-„ que restinguimus, haec nos ſocietati devinxit." Ex omnibus ſane, quae natura humano generi concesſit, nihil potest excogitari, quod hoc dono magis ſit eximium et exquiſitum.

Dicat autem quispiam: haec facultas non ſoli fabricae partis illius, quae ſono formando destinata est, tribuenda videtur; imo potisſimum hanc cauſam habet, quod uſu rationis bruta careant. Sed careant bruta recta ratione; num vero ideo illae partes, quae ad ſonos distinguendos inſerviunt, in brutis tanta arte ſunt confectae, quan-

ta

ta in homine? Neque de omnibus quaero; ſed de iis, quae propter ſimilem fere conformationem homini quam proxime accedere videntur. Oculos mecum convertite ad ſimias; ſonos edere poſſunt, voce distincta non utuntur: non ideo, quia loqui nesciunt, ſed ob peculiarem ſtructuram organorum, quae vocem et loquendi facultatem in homine formant. Nimirum in radice epiglottidis ſimiarum rima inſignis adest, quae ducit ad marſupium quoddam, quo fit, ut, cum ſonum edere conatur ſimia, in ſaccum veluti cadat aër, ad vocis aut loquelae uſum nequaquam inſerviturus. Igitur fingamus ſimiam ratione inſtructam, mutari etiam eius fabricatio debebit, ut eloquendi vim cum homine habeat communem. Apparet ergo luce clarius, humanae praeſtantiae veram cauſam ex ipſa huius organi ſtructura peti non poſſe, ſed debere.

Ad illud organum pergo A. A. H. H.! quod ſtructura quidem a pulmonibus admodum videtur diverſum, ſua tamen functione cum iis connexam atque coniunctam habet rationem; cutem dico, qua natura omne corpus humanum vestivit, et ita ſepſit, ut partes intus incluſas non contineat tantum et obducat, ſed tegat atque defendat; cuius

ope aliena quaevis, quae retenta nocerent, ex principe humorum masſa eliminantur; quaeque adeo continua perſpiratione ſanitati conſervandae inſervit. Favet autem maxime cutis ſingulari generis humani formae ac pulcritudini. Coloris nitidisſimi ſedes est in Europaeïs, eiusdemque diverſi in reliquis gentibus. Sed, quod omnium maxime huius partis artificium prodit, in quaque corporis parte adeo diverſa est crasſitudinis tenuitatisque ratio, ut prorſus diverſo modo eam conſtructam diceres, niſi diligentior eius contemplatio doceret, eandem ubique esſe partium deſcriptionem. At vero externa cutis lamina, quae epidermidis nomen habet, crasſior et compacta magis quibusdam in locis deprehenditur, ut presſus durorum corporum impune ferant ſubtiles illae papulae, quae ipſi ſubiectae latent; eandem vero aliis in locis conſpicimus tenuem adeo et exilem, ut ſubiacentia vascula nuda diceres: nihilo tamen minus tantae necesſitatis est, ut vel in minimo defectu laminae huius admodum tenuis, non aliarum rerum, ſed ipſius aëris accesſus dolores excitet acerbos nec tolerandos. Anne vero meliori conditione utuntur animalia, quae coriis tecta ſunt, aut pluma

ſqua-

ſquamave obducta, aut ſpinis hirſuta, aliisve mo-dis armata contra quasvis aëris hostiumque ſuo-rum iniurias, ipſa naturae benignitate tuta esſe videntur? Non nego, ita posſe dici, modo et hominis et animalis eadem esſet ratio. Natura vero animalibus certas ſedes destinavit, et pro diverſa in iis coeli aërisque ratione, in ſumma brutorum varietate, ſingulis generibus pellem paravit talem, qua frigoris et caloris appulſus ſua in ſede commode ferrent. At vero, quis nescit, hominem prae omnibus animantibus totius orbis terrarum civem esſe, eum et frigidisſimas et calidisſimas regiones incolere, earumque diverſum aërem ſine damno ferre posſe? Nam manet in his diverſis regionibus calor internus ſemper idem; ſed cutis ſubtilitas hominem monet iis remediis uti, ſive arte inventis, ſive uſu comprobatis, quibus in quaque regione ſentiat ſe a frigore et calore tutum. Neglecta nocerent certisſime: qualis vero esſet huius necesſitatis index, ſi alia ratione cutis esſet conſtructa? Quantum porro haec ſingula valeant ad utilitatem, quantum ad iucunditatis, dicam an voluptatis ſenſum, omnes experimur.

Et ſic ſponte ducimur ad organa ſenſuum externorum, quae non tantum omnibus animalibus et homini concesſa ſunt, ſed quorum nonnulla etiam in iis videntur perfectiora: harmoniam vero et conſenſum ſingulorum ſenſuum ſi ſpectes in homine, ſi ad intelligendi et perſpiciendi facultatem attendas, nemo ſane dubitaverit, prae illis, hos dicere praeſtantisſimos, exquiſitos, eximios.

Quod ſi minus verbis fidem habeatis, agite, tactus organum, quale in homine apparet, cum eiusdem ſenſus organis in animalibus comparemus; tactum dico, qui omnis ſenſus externi, perceptionis omnis, fundamentum est. Hic enim ſenſus mirabili veluti iudicio non tantum formam rerum externam earumque adiuncta menti repraeſentat, ſed etiam ſua ſubtilitate et artificioſa machinatione varias dotes internas ita indicat, ut ſingula contuens animus a tactu accipiat pleniſſimam rerum notitiam; non aliter, ac ſi manus humanae et extrema digitorum oculis esſent inſtructa. Quodnam vero animal tactu etiam exquiſitisſimo haec asſequatur?

In bestiis porro plerisque vix cognitum habemus peculiare tactus organum; in aliis vero non

niſi

nisi exigua quaedam pars huic sensui quodammodo apta videtur. Itaque rostro porcus, proboscide elephas, vacca et equus labio superiore, anas et anser maxillae superioris margini adnexis papillis, piscis labiis, insecta antennis tactum exerceant; in homine non tantum summa digitorum, non tantum vola manus et pedum planta hac dote excellunt, verum in tota corporis superficie adest tactus, ut omnes affectiones, amoenitates omnes utilitatesque experiri possit.

Gustatus porro vix ullum in nonnullis bestiis vestigium apparet. Quae vero animalia sentire possunt, quae vescantur, quam exigua, quam imperfecta est illorum in discernendo facultas! aut, si dote hac gaudeant, tantus tamen est huius sensus stupor, ut vix ullam ex gustu voluptatem capiant.

Vita quotidiana hoc confirmat. Canibus, (ut hoc utar exemplo), si, quod maxime amant alimenti genus, carnem offeras, insatiabili quasi voracitate ingurgitant, ut vix ea linguam attingere videatur. Quod si minus grata acceperint, lente et pigre solent ea manducare, quasi ipsis videatur difficile discernere, utrum delicatum, an vero ingratum saporem haec habeant. Homo contra

tra gratissimum sibi cibum vel potum sumens, curat sedulo, ne cito nimis per pharyngem transeat quod acceptum est; et hoc ipso sensu, quo mirabiliter affectum est palatum, sponte incitatur, ut prius ea digerat in ore, ut emulgeat lente, ut quam diutissime hisce deliciis ex gustu fruatur. Quidni igitur hominem et tactu et gustu longe superare cetera animalia omnes mecum assentiamini?

Sed odoratum forte mihi obiiciat quisquam, qui hominis praestantiam non in quibusdam sed in omnibus sensibus affirmo. Sane olfactus multis animalibus valde est acutus, et acutior quam homini; sed an ideo praestantior? an ideo maiores animi voluptates creat? Miremur profecto A. A. providam solertemque summi creatoris operam! Hic acutissimum dedit nonnullis animalibus olfactum, ut in pastu circumspectent, ut male affecta herbas quaerant salubres, quas alia ratione discernere non noverunt: nonnullis etiam, ut ex hoc ipso homini commoditates et oblectamenta procurent. Homini is datus est odorandi sensus, qui suae naturae est consentaneus; acutior, quam quo gaudere solet, odoratus, homini noceret potius, quam prodesset.

Non-

Nonne aromaticorum, nonne florum gratissimorum odores, quibus summopere delectamur, quos vero canes tanquam venenatos fugiunt, nobis essent aeque intolerabiles? nonne essemus privati sexcentis suavitatibus, quibus iam fruimur? Ut brevi complectar: est huius sensus organum in homine adeo perfectum, nostrisque desideriis adeo adaptatum, ut non tantum salutares exhalationes a noxiis, gratas ab ingratis apte discernamus, verum etiam cum omni nostro systemate nervoso tam arcto vinculo est connexum, ut huius consensus ope vitam fere exstinctam excitari non sine admiratione videamus.

Non minori elogio dignum est organum auditus. Quamvis enim nonnulla animalia vehementius afficiantur sono, in homine tamen conspicuae sunt partes, quibus bruta vel destituuntur penitus, vel quae in illis apparent non adeo perfectae omnibusque numeris absolutae; adeo ut dubium sit Physiologis, quaenam earum ad sonum perficiendum necessario requirantur, quaenam vero in hoc sensu adiuvent potius. In homine autem hoc organum praestantius dicendum esse, quam in animalibus, quis dubitat, qui videat,

deat, non ſolum adesſe, quae ad exquiſitisſimum auditum necesſaria videntur, ſed etiam et genera ſonorum et intervalla et flexiones modorum distingui, quae non animalium ſed hominum auribus iudicantur. Mulcet porro aures variorum ſonorum compoſitio; harmonia quadam eorum capimur, quae non est ſonorum tantum, ſed auditus humani: turbatis enim partibus auditus, quibus ille conſenſus conſtituitur, quod in morbis aliquando fieri obſervamus, acuitur quidem valde hic ſenſus, ſed ſimul incommoda maxima inde experiuntur aegrotantes: hanc vero harmoniam non ita larga manu naturam animalibus quamvis acutisſime audientibus tribuisſe, nemo negabit, qui obſervaverit, quam intolerabilis illis ſit ſonorum varietas in tibiarum fidiumque cantibus, quae hominibus tot tantaque oblectamenta affert, ut divino quaſi gaudio animus perfundatur.

Quid vero dicam de oculo humano, tantae artis opere, ut huius ſane ſubtilis partium deſcriptio et admirabilis fabrica doceat divinam artem et curam ſui Auctoris? Quod, quaeſo, praeter talpam, invenitur animal, in quo lateant oculi tam utiliter excelſis undique partibus ſepti?

Cu-

Cuius bestiae oculi adeo sunt mobiles, ut adspectum, quo velint, tam facile convertant, aut undique radios lucis recipiant? Quod animal locorum intervalla oculo diiudicare potest? Cuius nam in oculis tunicae diversae ita sunt dispositae, ut vario lucis modo non laedatur visus? Sane, si haec sint communia utrique animantium generi, haec insunt in hominis oculo certissime summa. Bestiis antecellit oculus humanus in iis artibus, quarum iudicium est oculorum; in distinguendis coloribus, in contemplanda rerum universarum forma et venustate. Loquuntur sine voce oculi humani; sunt virtutum, vitiorum, affectionum indices; admirationis, animi attentionis, venerationis, amoris, irae, gaudii, timoris, fortitudinis et vindictae nuntii et interpretes.

Neque illis tantum humani corporis partibus, quae vim suam et efficaciam habent in animi facultates, tanta inest praestantia, verum eadem etiam conspicitur in illis, quae praeparant ex cibo potuque ingesta ad totam machinam conservandam, reparandumque, quod vitae actione est detritum. Paucissimis exceptis omnia animalia has partes ita constructas habent,

ut vel ex ſola animalium carne, vel ex plantis herbisve petita alimenta digerant et in nutrimentum convertant: in homine vero dentes ita ſunt facti, ut et herbas, et fructus, et grana, et carnes morſu dividant et apta manducatione conficiant. In animalibus porro ventriculus et intestina omnia eâ ſunt ſtructurâ, ut paucisſimis tantummodo conſuetudine et domestica vita concedatur ex utroque regno ſibi alimenta parare: ventriculus vero humanus et omnis intestinorum tractus eas habent partes, quae in carnivoris apparent; habent etiam, quae in iis inveniuntur, quae per herbas paſcuntur, ita ut omnis generis cibos extenuare, digerere, et in ſuccum et ſanguinem convertere posſint. Quascumque etiam regiones inhabitent, ubivis inveniunt, unde ſe nutriant: imo vero per egregiam hanc partium ſtructuram natura humana et ſimplicisſimo, et vario, et quacumque ratione mixto victui facillime asſueſcit.

Quae cum ita ſint, quis est, qui dubitet, quin hoc etiam nomine homo animalibus longe ſit anteponendus?

Restat, ut ex functionibus, quae ad oeconomiam corporis humani pertinent, ultimo loco,

pro-

prolis procreandae ſtimulum attingam. Non opus est multis, ut doceam, hunc in brutis non niſi corporeae voluptatis ſenſu perfici et abſolvi; quae vis libidinis, ſi in homine locum haberet, is omnium viliſſimus merito haberetur et esſet. Quare non est ut illorum argumentis moveamur, qui existiment, maiora gaudia et plura has partes praebituras esſe bestiis, quae citius hunc ſtimulum experiuntur, et ad ſobolem procreandam incitantur; dum per aliquot annorum ſpatium, quos innocens homo tranſigit, partes huic functioni inſerviturae veluti quiescunt in utroque ſexu. Ita ſtatuat, in quo dominatur voluptas; quique, effrenatas libidines cohibere non edoctus, impuros ſequitur amores! Hoc autem ſtimulo impellente, in animalibus extingui videmus amorem, quo ante ducebantur erga vitae ſuae auctores; prolem deſerere genitores; viciſſim hos deſeri ab illa; nullam remanere inter bruta cognationem, conſanguinitatem nullam, nullum vinculum, quo inter ſe iungantur, quae ex eâdem ſtirpe originem ducunt.

Quot vero commoda, quot gaudia, quot animi voluptates, imo quam veram felicitatem haec partium generationi inſervientium tarda maturitas hu-

humano generi largitur! Quam grata parentum cura! quam iucundum liberorum quotidie laete crescentium consortium! quot voluptates ipsis parentibus praebent gaudia, quae iuvenili aetate et pubertate matura experiuntur liberi ex nuptiarum honestarum appetitu!

Quot animi voluptates humano generi praebet adulta aetas, quâ vigent nervi, robur summum, et illius roboris conscientia! quorum omnium animal nihil simile experitur.

Multa iam dixi A. A. H. H.! multa vero sunt praetereunda. In hoc uno defungar. Longaevitate pleraque animalia superat homo. Arguat quisquam vitae humanae miserias in provecta aetate, aut ingravescentis senectutis dolores et infirmitates. Non conturbor. Hi enim dolores, hae infirmitates, haec inertia, suntne affectiones morbosae? An sunt perpetui senectutis comites? Sed videmus senes vultu hilares, corpore sanos, auctoritate venerabiles, prudentia eximios. Quot non reperiuntur, qui animi constantia, consilii sapientia, iudicii vigore vincant iuniores? Nonne denique ex repetitis nuptiis aliquando quasi iuvenescere videmus aetate iam provectos? Profecto non est per se misera se-

nectus, ſed grata, ſed optanda. Habet, quo laetetur, qui ad vitae metam properat homo, vitae bene actae ſibi conſcius et ſanus; qui in convictu ſuorum, qui ſtirpem ſui generis colunt, venerantur, amant, aut in aequalium conſortio iuvenilis aetatis gaudia recordatur; qui vitae feliciter et cum fructu peractae memoriam repetit; qui infinita beneficia accepta refert Deo, quem colit, quem amat, a quo futurae ſalutis et aeternae vitae beatitudinem pia mente placidus expectat.

Quod ſi tandem adeo detrita machina est, ut menti amplius domicilium praebere nequeat; morti tandem homo ſuccumbit. Sed hic etiam miremur Creatoris benignitatem, qui partes ſingulas corporis ita conſtruxit, ut hanc vitam relinquere huic aetati non ſit difficile. Solvitur enim omnis nervorum vis et musculorum irritabilitas; obtunduntur et hebescunt paulatim ſenſus externi; hinc internarum facultatum vigor minuitur; et ſic exitus ex hac vita, ſpectatoribus multo terribilior quam aegrotantibus, totius machinae iam detritae deſtructione facilis redditur et fere optandus. O Praeclaram corporis humani ſtructuram! O Sapientisſimum rerum modera-

torem! qui hominem tantis, et tam eximiis, et a natura et ab arte dotibus prae ceteris animalibus beavisti, ut et Te laudare, et suas ipse corporis et animi vires admirari, nunquam satis possit!

Sed tempus monet ut ad ea pergam, ad quae me vocat festa diei natalis Academiae nostrae celebratio: qui dies ut huic Musarum sedi felix sit atque fortunatus, vehementer opto!

Recte a maioribus institutum censuit Rex Augustissimus, ut, qui Magistratus Academici stationem relinquunt, rerum, quae per id tempus prosperae vel adversae acciderint, memoriam renovent et exponant: quod dum agere instituo, illud affirmare iam licet, multa nobis hoc anno evenisse, cum nobis omnibus iucunda, tum Academiae salutaria. Atque statim quidem in eo exsultare licet, quod summo omnium rerum Moderatori placuerit, Regem nostrum, Academiae huius instauratorem et fautorem eximium, salvum servare atque incolumen; nec amplissimorum virorum, quibus Academiae cura est mandata, turbatam fuisse valetudinem.

Si

Si togatum huncce ordinem intueor, eosdem clarisſimos viros, qui ineunte meo magistratu nostram Academiam ornabant, in hunc usque diem ſalvos esſe, non ſine grati animi ſenſu dicere licet. Id vero eo magis oportet commemorare, ſi recordamur, quam tristia fata nobis hoc anno imminerent, quae maximam (utinam omnem dicere liceret) partem Optimi Maximi Dei gratia ſunt ſublata.

Gravi enim morbo decumbentes ac morti vicinos vidimus RAVIUM atque GEUNSIUM, qui laboris quidem per multos annos peracti honorifica quiete iam fruuntur, ſed quorum nomina et meritorum recordatio, dum vivunt, Academiae praeclaro erunt ornamento: ſed ſalvi ſunt, ſed, quoad eorum patitur aetas provecta, bene valent.

ROYAARDSIUM atque RHOERIUM nostros laetamur ſalvos et ſoſpites: quos ſi levis affectio corporis, qua laborant continuo, negotiis publicis interesſe vix patiatur, vivunt tamen, omnesque muneris ſui partes eâdem ingenii alacritate et doctrinae copia explent, quibus dignisſimi hi praeceptores docili iuventuti ſeſe ſemper reddiderunt commendatisſimos. Te quoque cor-

po-

poris quidem viribus, non vero facultatibus animi, ſenem ROSSINUM, hic praeſentem videre non tantum contingit, ſed tibi gratulari licet de ſanitate hoc anno meliore, quam qua ante fruebaris: quo licuit tibi in docendo ſine ulla fere intermisſione pergere, easdemque fere partes implere, quas ultra dimidii ſeculi ſpatium tanto cum ſuccesſu et omnium bonorum approbatione, ſustinuisti.

Nostra porro vota pro vestra incolumitate, cl. viri, HUISMANNE, SUERMANNE et VAN GOUDOEVER! valuerunt; et ita valuerunt, ut nobis redditi ſitis; ut reſtituta ſanitate, reparatis auctisque viribus, Vos hic adſpicere, ſalutare, vobisque et nobis gratulari, non ſine ſumma animi voluptate, contingat.

Utinam vero A. A. in laetis hisce rebus omnino pergere liceret! Sed vix unquam res humanae ita ſunt comparatae, ut non laetis quoque tristia misceantur. Utinam nullius funeris memoranda mihi esſet tristitia et luctus! Utinam cl. quoque DYLIUM, proſpera valetudine fruentem, hic praeſentem videre, nobisque et ipſi, qui tot animi facultatibus excelluit, de reſtituta quoque ſanitate, de reparatis corporis

vi-

viribus cum veri amici voluptatis ſenſu gratulari! At vero, A. A.! non ita placuit ſummo rerum humanarum Rectori, arbitro iustisſimo, ſapientisſimo. Fruſtra enim hic quaerimus Dylium noſtrum, quem hoc ſolenni die publice Academiae noſtrae inſigne decus, togati ordinis dignisſimum ſocium, mihi carisſimum amicum, Medicinae ſtudioſis eximium Praeceptorem ſalutare; cui de honorifico, quod auſpicatus hoc anno fuit, munere, de ſumma cum laude incoepto Academico labore gratulari ſperaveram.

Deſideramus noſtrum Dylium, virum, ſi eruditionem ſpectes, doctisſimum; ſi mores, blandum, comem, affabilem, pium; virum, praeter univerſae eruditionis famam, tanta Medicinae practicae excellentia inſignem, ut cives Amſtelodamenſes, ſibi tam cari et omni dote optimi medici iacturam illatam fuisſe, in hunc usque diem merito doleant.

Infirmo autem nimis corpori quum inesſet ingenii alacritas incomparabilis, literarum omnium, et inprimis disciplinae Medicae amplificandae, inſatiabilis amor, ſperabat ipſe, et nos ſperabamus fore, ut honeſta, a difficili munere praxeos in tam celebri urbe exercendae, quies

et literarium otium, Deo favente, amisſas gravi haemorrhagia pulmonum vires, ſed quodammodo recuperatas, in integrum reſtituisſet. Et revera, quanta cum laude opus ſuum in hac Academia, et quam felicisſimo cum ſuccesſu, aggresſus fuerit, omnes novistis, qui eum, qua erat eloquentia, audivistis dicentem: *de raro Medicorum principum proventu, ad amplificandam tamen Medicinam ſufficiente.* Ita pergebat et animi facultatibus excellere, et corpore ſatis bene valere, et iuventuti nostrae medicae egregia artis ſalutaris praecepta aliquamdiu tradere. Quantum itaque ſibi detractum querebantur Amſtelodamenſes, tantum nobis accesſisſe ſummo iure gaudebamus. Utinam illud gaudium diuturnum fuisſet! Ea vero est humanarum rerum inconſtantia, ea varietas, ut, qui hodie in gratisſima felicitatis ſede poſiti ſunt mortales, non raro inopinato fortunae damna gravisſima ſentiant.

Dylio nostro id evenisſe, A. A.! quid vobis memorem! Vix enim munus auſpicatus, vitaeque deliciis, quas ſibi e nova hac provincia promiſerat, per aliquot tantum menſes fructus erat, quum atrocisſimis lumborum doloribus corriperetur, quibus aliquamdiu utilisſimas, quas inſtitue-

tuerat lectiones, intermittere fuit coactus. Hisce vero torminibus, quae mira animi constantia fuerat perpessus, quodammodo cessantibus, mox dilectum sibi laborem denuo suscepit. At vero, proh dolor! non diu eum sustinere potuit: verum maiori malo afflictus, funesto scilicet sanguinis e vasis pulmonum fluxu, tantam virium patiebatur iacturam, ut de recuperanda sanitate nobis, qui ad servandum Collegam eximium, ad servandum amicum dilectissimum omnes vires indefessa cura intendere conabamur, parum spei superesset. Eventus tristis metum nostrum non inanem fuisse eheu! docuit. Etenim altiores indies malum egit radices, ut consumtis tandem hectica febri omnibus corporis viribus, animus placide admodum suam sedem relinqueret, et nobis, consanguineis, Academiae, et universae rei literariae ereptus sit Dylius. Est sane, quod Academiae, quod necessariorum, quod amicorum sortem infelicem doleamus, qui per Dylii mortem, viro ingeniosissimo, diligentissimo, doctissimo, et communis utilitatis augendae studiosissimo privati sumus. Studiosae iuventutis vicem dolemus, quae doctorem amisit egregium, et discipulorum commodis semper et ubique de-

vorum: sed ipsi gratulamur, qui iam corporis vinculis solutus, et liber omnium malorum contagione, laboris et vigiliarum sempiternam agit quietem.

Ignoscite A. A.! si prolixius paulo Cl. Dylii mortem vobis commemoraverim, cum tot alia memoranda restant. Dandum hoc videbatur huic loco, qui eum horum virorum ordinem nuper adhuc ornantem conspexit: dandum hoc amicitiae, dum licuit, cum egregio viro cultae: dandum hoc denique eius discipulis, quibus tanti magistri, (cuius quamvis per breve tantum temporis spatium cura et eruditione frui licuerit,) memoria, grata semper et honesta mentione, in omne tempus erit memoranda. Grave itaque huic Academiae et ordini nostro medico vulnus est illatum; quod ut provida Maecenatum cura, digno creando successore, non semper sentiatur, etiam atque etiam optamus.

Sed plura sunt a me commemoranda, quae per annum magistratus mei, et ad doctrinarum studia adiuvanda, et ad tuendam huius Academiae gloriam avitam inprimis videntur pertinere. Quae, cum haberi debeant fructus, qui larga messe iam hoc anno sunt collecti ex amplificata

Aca-

Academia nostra, certissima simul praebent documenta, e quibus statuatur de summa Regis in literas munificentia.

Etenim Academiae nostrae Bibliotheca multis hoc anno in omni literarum doctrinarumque genere praestantissimis operibus aucta est; eademque ad publicum usum et legentium commoditatem rite instrui adaptarique coepit. Speramus autem fore, ut locus ei aliquando destinetur, qui et praesenti et futurae eius conditioni consentaneus videatur.

Insignia habuit hoc anno incrementa Hortus Academicus. In suos usus multo labore et industria collegerat summus GEUNSIUS herbarium, quod fere ter mille species plantarum arefactarum, aliarum vero semina, aliarum denique fructus arte conservatos continebat. Has divitias, privato usui destinatas, publicas iam factas esse gaudemus. Donis porro seminum et recentium et integrorum duobus, altero ex India occidentali, altero ex promentorio Bonae Spei acceptis, instructior factus est studii Botanici apparatus; additis eidem centum, et quod excedit, speciebus plantarum, quae in horto desiderabantur.

Instrumentis Physicis nova quoque accesse-

 runt

runt nonnulla; alia exſpectamus; antiqua etiam multum ſunt emendata.

Astronomicis obſervationibus destinatus locus brevi non tantum ita erit inſtructus, ut ſcopo ſit aptior, et accurata diligentia obſervari posſit, quidquid in hoc disciplinarum genere coelum contemplanti ſeſe offerat; ſed etiam concesſit Regis optimi et Curatorum liberalitas in haec ſtudia, ut a clarisſimo artifice Reichenbachio conficiatur inſtrumentum, quod pretio carum, utilitate eximium, et adeo inter ſumma Principis beneficia commemorari meretur.

Zoölogicum Muſeum post inſtauratam Academiam auctum inprimis fuit plurimis, iisque egregiis, avium farctarum, quae hactenus in illo penitus deſiderabantur, exemplis.

Muſei Mineralogici et Geologici condendi ſpes affulget.

Laboratorium Chemicum, in alium locum quum ſit transferendum, ita inſtruetur, ut perfectae adeo hodiernae disciplinae Chemicae conditioni, quoad eius fieri posſit, ſit adaptatum; quo etiam conſilio plura inſtrumenta, hactenus deficientia, ſunt coëmta.

Regii decreti ſapientia cautum quoque fuit, ut

ut in hac Academia constitueretur Nosocomium, ut nostrae disciplinae alumni in Medicina, Chirurgia, et Arte obstetricia exercenda ipso usu peritiores evaderent. Facile hoc forsitan videbitur opus cogitanti, idem iam ante quadrantem seculi a GEUNSIIS, patre et filio, fuisse et institutum et effectum. Sed quid non delet omnia vastans manus tyranni? Novum fere ex suis ruderibus prodiit opus; nec novum tantum, sed dotibus auctum, sed ad disciplinae amplitudinem conformatum, ut his usibus esset consentaneum. Non desunt loca tum aegris recipiendis, tum instruendis arti medicae operam dantibus; nec praxi tantum internae, sed omnibus partibus artis salutaris inservit; non hic recipiuntur aegri, quotquot aut afflictio, aut fortunae tenuitas misericordiae commendat, sed tales, quos visitare quotidie, et quorum periodos observare maxime interest eorum, qui medicam artem aliquando exercere velint.

Utilissima haec institutio non inchoata est, sed consummata. Ad lectos decumbentium aegrorum et puerperarum docili inventuti quotidie praecepta dantur de omnibus partibus Praxeos medicae et chirurgicae; de cura aegris haben-

da;

da; de ope parturientibus ferenda; de arte medicamentorum recte parandorum; verbo, de omni eo, quod Medicum practicum formare possit.

Quae denique in hac Academia ad Physiologiam humanam animaliumque illustrandam necessaria desiderabatur supellex, quae ad detegendas morborum diuturnorum, quos lenta mors sequi solet, latentes caussas, requirebantur specimina, haec, ne discentibus deëssent, indefesso labore, industria et non exiguis sumtibus mihi parare in Harderovicena Academia incepi, hic perficere conatus sum. Cui operi per multos annos me totum ita tradidi, ut omnia, quae de functionibus corporis sani vel morbis affecti in lectionibus exposita essent, oculis discentium praeberentur conspicienda. Sic sensim museum mihi comparavi, si numerum speciminum spectes, non exiguum; si formas, non inelegans; si utilitatem, pernecessarium. Sed plura silentio praetermitto. De praestantia mei laboris iudicent alii. Optime vero de hoc meo labore actum arbitror, quum annis crescentibus et ad metam properante mea aetate, evanuerint curae et sollicitudines meae, quas non inficior menti obvenisse, ne res mihi tam

ca-

cara vel in alias forsitan migraret regiones, vel tandem post mortem misere distracta atque discerpta Auctoris etiam sui memoriam apud posteros nequaquam servaret. Sed provida Regis nostri cura me, quam honorificentissime, ab hoc metu liberavit, atque pro suo munificentissimo et liberali erga Academiam nostram favore effecit, ut in Medicae disciplinae usum, et meae industriae memoriam, semper in hac urbe servavetur.

Uti autem Academiae de hac Regis nostri in disciplnas omnes liberali cura gratulari licet, mihi imprimis, (nam quid dissimulem) laetari contingit, laborem meum Regem invenisse fautorem.

Pro hoc igitur inaestimabili beneficio, et Academiae et mihi praestito, Regi nostro dilectissimo, optimo; et qui rebus Academicis supremam curam gerit, viro spectatissimo, excellentissimo, Raepelario van Driel; quique huic ab actis est, praeclaro nostro de Geer, pro meritis palam summas ex animo gratias ago, et habebo, dum vivam.

Vestra vero, viri Amplissimi et Gravissimi! quibus huius Academiae cura mandata est, praesen-

ſentia ideo mihi praeſertim iucundisſima accidit, quod occaſionem praebet, non tantum pro benevolo animo et pro indefesſo labore, quibus omnia, quae ad promovendas artes atque disciplinas conferri posſint, et ope et conſilio contulistis, gratias agendi, quas posſim maximas; verum etiam pro magno illo beneficio animum obteſtandi gratisſimum, quo vobis placuit omne ſtudium et operam impendere, ut publicis uſibus destinaretur mea ſupellex anatomica; tum vero etiam, quod amplisſimum et ſplendidum locum concedere voluistis, quo in ſempiternam memoriam ſervaretur, quodcumque ad explicandas corporis humani animaliumque functiones ſanas et morboſas ante oculos ponere tentaverim.

Denique prodierunt nuper, me Rectore, Annales Academiae: quae inſtitutio quantopere augere posſit gloriam Academiae, cum propter rerum geſtarum memoriam, tum propter rei literariae progresſum, vel me ſilente, omnes ita intelligitis, ut merito haec inter laeta et proſpera, quae nobis acciderint, commemorare liceat.

Quod ſi tot ac tanta ſint commoda, quae hoc an-

anno experta est Academia, et in docentium ordine, et in exornanda omnis generis ſuppellectile, et inſtitutionibus ad veram doctrinam neceſſariis, laetam certisſime vos omnes, A. A. H. H.! fovetis ſpem, fore, ut tantis curis et numerus, et diligentia iuventutis, doctrinarum ſtudioſae, reſpondeant.

Haec vero ſpes fallax non fuit. Superavit hoc anno omnium expectationem numerus novitiorum, qui hisce ſacris ſunt initiati; ita ut ſpes nobis affulgeat, fore, ut brevi cladis nobis a tyranno inflictae effectus deletos videamus. Quod ſi asſiduitatem quaeratis, adſunt ſpecimina in plurimis disquiſitionibus publice inſtitutis; quod prudentisſimum a Rege inſtitutum et auget diſcentium alacritatem, et docentium honorem. Adſunt induſtriae ſpecimina in disputationibus publice habitis, in omni fere disciplinarum genere. Adſunt ſpecimina in disſertationibus publice pro gradu doctoris ſumma cum laude disceptatis, quae pariter gloriam huius Academiae, etiam in extrema calamitate conſervatam ac defenſam, probant atque teſtantur.

Modeſtiam hisce iungere liceat, ſummam et mo-

morum probitatem tantam, ut nihil habeam, quod meo magistratu vituperem, quod laudem plurima.

Sed quid ego de discentium ingenio et indole plura commemorem? Novistis omnes, ex Regio decreto praemia esse proposita iis, qui victores forent in certamine literario. Patebit jam continuo, quid hac in parte praestiterint cives nostri; cum mihi haec sit imposita provincia, ut de dissertationibus pro praemio ad nos perlatis exponam, quid singulae facultates judicarint.

Si quae res oratorem turbare possit atque confundere, sane sentio, quantopere huc faciat festum novi moris solenne celebrandi necessitas. Movent animum meum et liberalitas ac munificentia Regis, et sensus honoris, qui vestros animos, Ornatissimi in certamine literario Victores! hac solennitate merito stimulat atque excitat; sed prae ceteris publica hilaritas et omnium expectatio. Causa enim, quae agitur, non ad juvenes tantum spectat praemiis ornandos,

dos, non ad Professores, non ad cives Academicos, sed ad omnes, quotquot doctrinarum dulcedine capiuntur. Quidni enim ad hos omnes pertineat, quod communia studia iuventur, alantur, et, quod summum est, praemiis ornentur, qui in iuventute reliquis palmam praeripiunt. Fieri non potest, A. A.! quin tanti favoris tantaeque laetitiae auctorem ab omnibus, qui literis favent, debita reverentia et pietate colendum putetis.

Ut ergo iusso Regio pareamus, flagitat officii mei ratio, ut exponam, quid quisque ordo censuerit de quaque disquisitione, quam ad quaestiones, superiori anno propositas, certaminis caussa conscriptam accepit; maxime vero, ut publice edicantur nomina eorum, qui victores sunt iudicati.

Ut autem ab ordine Medico, qui hoc anno primus est, initium fiat. Proposuerat hanc quaestionem:

Breviter et distincte indicetur modus et ratio actionis nervorum, quaeque sint maxime probabiles huius actionis explicationes.

Tra-

Traditae ſunt ordini Medico disſertationes quatuor, omnes diligentiae, imo vero eruditionis testes idonei.

Prima fuit inſcripta

Ins Innre der Natur dringt kein erſchaffner Geist
Zu glücklich wenn Sie nur die äusſre Schale weist.

Est haec multis in locis bene conſcripta, et valde commendanda ab egregia, quam continet, magnetismi animalis theoriae deſcriptione.

Secunda praeferebat nostratis Bilderdykii, verba:

Een ander grijpe 't zwaard, of gespe 't harnas aan,
Om in de zenuw, koord, of vochtbuijs voorteſtaan.

Arbitratus est ordo Medicorum, hanc disſertationem exhibere egregiam enarrationem theoriae Gallii, de ſystematis cerebralis ſtructura, et iustam expoſitionem discriminis, quod inter ſystema cerebrale et gangliorum intercedit; post quae ad propoſitam quaestionem in ultima disſertationis parte breviter respondet huius diatribes auctor.

Tertia disquiſitio distincta fuit hoc effato Terentii:

Quid-

Quidquid praoter spem eveniet, id omne deputabo esse in lucro.

Ex ordinis Medici iudicio haec dissertatio iusto rerum ordine est conscripta, et pluribus de caussis vehementer placuit: sed quum verosimiliter eius auctor non illud temporis spatium, quod res postulavit, impendere potuerit, paulo minus distincte quaestionem pertractavit. Eam certe vicit quarta, inscripta dicto Pliniano:

Mirum et indignum, nullam Artium Medicina inconstantiorem fuisse, et etiamnum saepius mutari, cum sit fructuosior nulla.

Omnia enim, quae in quaestione requirebantur, tanta cura et diligentia hic conscripta sunt, ut dignissima haberetur, quae praemium reportaret. Resignatis literis prodiit Auctor

Christianus Bernhardus Tilanus,

In Acad. Rheno-Trajectina, Med. Studiosus.

Qui in examine, ex lege Academica cum eo instituto, ita satisfecit ordini Medicorum, ut abunde se scriptorem huius dissertationis probaret.

Me-

Medicos excipiat ordo Philosophiae Theoreticae et Lit. Hum. Hic quaestionem proposuerat:

Quam vim habuerunt apud Romanos foeminae in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus? Adjiciatur huic quaestioni foeminarum Romanarum characterismus.

Quatuor accepit responsa, suis singula laudibus insignia. Memoramus primam disputationem

οὔδε ποτ' ἐγὼ πολεμὸν δίχαδ' ὑποδέξομαι,

ARISTOPHANES.

Quae commendat se distributionis diligentia, disserendi ordine, tum etiam Auctoris modestia.

Magnis item virtutibus, sed aliis excellit scriptio

Croyez moi sexe fait pour charmer,
Contentez vous. —— PALLISOT.

In qua mirabilis exstat lectionis doctrinaeque cum copia tum varietas, et viget simul fervor quidam, et veluti luxuries ingenii.

Utrique tamen longe praestare visa est disputatio:

Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν,
Κάλλιστον· εἴσω δ' ἥσυχον μένειν δόμων.

EURIPID. Heracl. v. 477.

Magis enim haec propositae satisfacit quaestioni; et prodit insignem inquirendi perseverantiam, cum pari coniunctam iudicandi subtilitate. Quapropter dignam eam censuit ordo Philosophico-literaria, quae typis mandaretur: (Nos vero, veniam nacti, Academiae annalibus eam inserendam dabimus; gratulamur autem hunc honorem praestantissimo Auctori,

NICOLAO THOLEN,

in Athenaeo Franequerano Med. Studioso)

Nec dubitasset Facultas forte, huic scriptioni palmam tribuere, nisi excelleret etiam dissertatio inscripta,

Πάντες ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες.

CATO.

Nam sive orationem spectes, perspicuitas et elegans simplicitas summam legentibus voluptatem praebent; sive historiae agitur Romanae studium, patet manifesto, interius eam perquisivisse auctorem; sive tandem ad curam attendas, omnia congesta ad quaestionis explicationem accom-

modandi, iudicium miraberis iuvenis, qui, ut nihil voluit omittere, quod ad propositum facere posse videbatur, nihil tamen addiderit inutile et otiosum; sed omnem potius scriptionis suae materiem iisdem limitibus terminaverit, quos Facultas ipsi praescripsisset.

Itaque dignissima habita est, unanimi ordinis Philosophico-literarii consensu, haec disputatio, cui praemium assignaretur. Patuit autem, auctorem eius esse:

STEPHANUM IOANNEM MATHIAM VAN GEUNS,

In Acad. Trai. Juris Studiosum,

qui solenni etiam disquisitione naviter eam adversus Professorum dubia defendit.

Ab ordine Theologorum proposita fuit quaestio:

Quaenam est Theologiae naturalis in se spectatae praestantia? Quid doctrina insuper divinitus patefacta confert ad eam illustrandam et firmandam? Quaenam denique eius est vis atque utilitas apud eos, qui notitia religionis Christianae sunt beati.

Exhibitae fuerunt ordini tres commentationes. Harum prima praefixa habebat verba PAULI: ὁ θεὸς γὰρ ἐφανέρωσε.

Al-

Altera eiusdem Apostoli verbis erat inſcripta: Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

Tertia denique CICERONIS dictum additum habebat: *Honos alit Artes.*

Nulla harum disquiſitionum fuit, quae non ſua laude fuerit digniſſima: in omnibus apparuit ſtudium conſtans in conatibus perficiendis: in ſingulis multa obſervavit ordo Theologorum, â quibus quaeque ſcriptio esſet commendanda; deſideravit vero vel quarumvis partium abſolutam magis tractationem, vel in elaboratione exactam magis diligentiam, vel in disputando ſubtilitatem magis accuratam. Doluit ſane ordo, nullam earum praemio condecorari potuisſe. Generoſorum tamen iuvenum conatus laudat, eosque excitat, ut, qualecumque viriuм ſuarum fuerit periculum, non defugiant concertationis laborem, aut de praemio alio anno reportando deſperent.

Quaestio denique a Iurisconſultorum ordine propoſita haec fuit:

Quaeritur, an ipſa natura obligationis civilis liberam e Patria migrationem permittat? Si vulgo permittat, quae ſint exceptiones, quibus facultas illa migrandi coarctetur, ex iure pu-

blico vel communi omnium Europae populorum; vel ſingulari huius illiusve imperii repetendae? Quae porro praecipuae ſunt cauſſae impeditae illius libertatis? An tandem omnia iura et officia mutua et civis, qui iure ſuo migravit, et Patriae, quam dereliquit, post migrationem penitus intereant?

Traditae ſunt ad hanc quaestionem duae commentationes, ordini Iureconſultorum, quae ſingulae vim ingenii et industriae prodebant. Harum altera indicata his Ciceronis verbis: *Ne quis invitus in civitate maneat.* non una de cauſa laudem mereri viſa est. Singula, quae huius ſcriptionis Auctor ſibi tradere propoſuit, et iusto ordine propoſita ſunt, et dictione bene latina. Non pauca ſane ingenii ſpecimina in hac disſertatione reperiuntur: et probavit Auctor, ſe plures, qui de hoc argumento expoſuerunt, ſcriptores cum fructu legisſe.

Altera vero disſertatio hoc lemmate inſtructa: *O iura praeclara atque divinitus iam inde a principio Romani nominis a Maioribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. Haec ſunt enim fundamenta firmisſima nostrae liber-*

tatis, ſui quemque iuris et retinendi et dimittendi esſe dominum: egregie placuit. Facultas enim in ea notavit ſermonis puritatem et elegantiam: porro ſpecimen hoc iuvenile ingenii vere acuti indicium est. Magnam etiam diligentiam Auctor ad illud ſcribendum contulit; nam res tractandas non tantum distincte atque ordinate disposuit, ſed et ſingulas, quae argumento continebantur, quaestiones accurate elaboravit, et ad eas recte respondit; denique ſuam ſententiam ubique laudatisſimorum iuris Naturae et Publici interpretum testimoniis erudite, et cum delectu, confirmavit.

Itaque his disſertationibus inter ſe collatis, Facultas cenſuit, hanc posteriori loco memoratam utique dignam esſe, quae praemium reportaret. Aperta ſubinde epistola, qua ſcriptoris nomen continebatur, Auctorem indicavit

Cornelium Anne den Tex,

Philoſophiae Theoreticae Magistrum, et Litt. Hum. Doctorem: Iuri in Academia Traiectina operam navantem:

qui in examine per legem praeſcripto ita rem gesſit, ut, quin ipſe conſcripſerit hanc disſertationem, nulla prorſus dubitatio ſuperesſe potuerit.

En

En itaque, iuvenes, digni iudicati, qui splendidissimis praemiis condecoremini! Haec sunt egregia studiorum vestrorum documenta, haec sunt eximia vestrae industriae praemia! Ita Augustissimo Regi nostro pro munificentia sua vestrarum in campo Literario virium pericula probare atque adeo publice singulari honore ornare placuit. Quid tandem, nisi hoc, mentes vestras moveat, excitet, inflammet! nec ullum vobis antiquius sanctiusque incumbat officium, quam pro viribus Regi atque Patriae reddere, quae Princeps in Patriae salutem vobis largitur.

Pergratum mihi igitur est atque adeo honorificum tibi gratulari, ornatissime TILANE! quod prima vice, qua in certamen literarium descenderis, tam prosperum hi tui conatus habuerint successum! Accipe a Rege Munificentissimo tibi designatum praestantissimum praemium, sitque hoc pretiosissimum tuae in Theoretica Medicinae parte industriae pignus, calcar eximium, ut in practica quoque addiscenda atque excolenda tantos facias progressus, ut in tuam felicitatem et aegrotantium aliquando tuae curae committendorum, salutem ex voto tibi cuncta cedant!

Tu

Tu quoque ornatisſime Geunsi! accipe, quod meruisti, quodque laetus tibi trado, inſigne illud honoris ornamentum. Quidni enim animo laeter, quod mihi iuvenem condecorare contingit, qui, cum Avi, tum Patris quoque virtutes referens, eodem rei literariae amore te iam nobis hac aetate ardere comprobasti, quo illi tantopere inclaruerunt. Perge in exercenda virtute, in literarum ſtudio, uti huc usque fecisti, veram vitae felicitatem quaerere: nusquam enim hanc certius tutiusque inveniri, quis ignorat?

Tibi autem doctisſime den Tex, qui iam publica in Literis Humanioribus et egregia eruditionis ſpecimina, rara ſane iuvenili tua aetate dedisti, gratulor ex animo, quod tam feliciter etiam tibi cesſerint conatus, quibus probasti, quid a Te Iurisprudentia, quid Patria a Te iure ſuo expectare posſit. Accipe, quod tibi trado, et de quo tibi gratulor, honoris praemium. Gratulor Praeceptoribus de tam eximio discipulo. Perge et animi dotes intendere, et modestia excellere, et corpore bene valere, ut tibi felix, iustitiae utilis, Patriae ornamentum ſis inſigne!

Pergite ſic vos exempla esſe vestris commilitonibus, Academiae nostrae decora! Pergi-

te vos omnes, ornatisſimi Iuvenes! nostrae deliciae, nobis laetam laboris mercedem afferre, vobismet ipſis laetisſimum industriae fructum! Pergite tam asſiduitate vestra, quam bonis moribus, Traiectinae Palladi ornamento esſe, uti (palam enim confitebor) hoc anno fuistis! Pergite eâdem qua coepistis via, et ex puris fontibus, quos vobis monſtramus, eam indefesſa cura haurire ſcientiam, quae quantam vobis afferat laudis et commodi copiam, tantam ex ea Patria utilitatem percipiat aliquando necesſe est.

Et ne vobis deſit argumentum in quo, quid humeri valeant tentare liceat, agite, vobis recitabo, quae ſint a ſingulis Ordinibus in annum ſequentem propoſitae quaestiones.

(Hic recitatae ſunt quaestiones in annum ſequentem propoſitae.)

En iterum, optimi Iuvenes! apertam vobis Palaestram! Erigite ergo animos, et quibus hoc anno vel opportunitas defuit, vel quos virium tenuitas deterruit, aut quorum conamina succesſu optato caruerunt, iam in arenam descendant, honore, quo commilitones ſuos ornari viderunt, excitati, eorum diligentiam aequare, aut, ſi fieri posſit asſiduo labore ſuperare ſtudeant.

At-

Atque ita peractis ſolennibus A. A.! ad me- tam properare licet et Magiſtratum Academicum tradere Viro Clariſſimo, qui ex benigniſſimi Regis decreto mihi deſignatus eſt ſucceſſor.

Te itaque, PHILIPPUM GULIELMUM VAN HEUS- DE, in proximum annum Academiae Rheno- Traiectinae Rectorem Magnificum publice di- co, pronuncio et proclamo.

Accedas ergo Vir Clariſſime! ſedemque hanc, quam a me relictam iam ad Te pertinere puto, quemque lubens tibi cedo, occupa et faſces Academicos accipe!

Salve, recens create Rector Magnifice! Hono- rem, quem iterum aſſecutus es, ampliſſimum ex animo Tibi gratulor! Praei nobis conſilio, prudentia, et quibus polles plurimis animi doti- bus egregiis, in noſtrae Academiae, nam potes, gloriam et incrementum. Quum vero, uti cum reliquis Honoribus, ſic hoc quoque tuo Ma- giſtratu aliquot incommoda pluresque curae coniuncta eſſe ſolent, Collegarum conſenſio, concordia et amicitia, uti nec me (quidni enim gratus confitear) reliquerunt, ſic et Tibi in mu- neris oneribus ſuſtentandis et levandis lubentes

ade-

aderunt, licet et Ipse viribus et ingenio valeas tibique facile sufficias.

Academiam igitur, quam tuae curae committimus, inclytam ornes atque adaugeas, omni in munere obeundo voluptate ac dulcedine fruare! Cuncta tibi e voto prospera ac laeta cedant, cum carissimis omnibus Collegis optamus precamurque pii.

Ita et Vos, Viri Amplissimi Gravissimi! pergite Academiae commodis nostrisque laboribus favere! Conatibus vestris nostrisque adspiret benigne Deus Optimus Maximus! Servet Regem nostrum dilectissimum, in Academiae, in Patriae salutem, ad seram usque senectutem salvum, incolumem, et cum omni Regia domo, cum speratis Nepotibus, beatum! Servet praeclaros Viros, qui summam artium atque disciplinarum in Patriâ nostrâ curam habent, salvos, et ad provehendum Academiae nostrae decus eâdem semper benevolentiâ pronos! Servet vos omnes, Viri Gravissimi Amplissimi! sospites, omnique fortuna beatos! Ita vivite omnes diu in Academiae, vivite in Patriae commodum et utilitatem.

SERIES OPUSCULORUM,

a Viro Clar.

DANIELE DYLIO

inde ab a. 1793 usque ad 1817 scriptorum.

Dissertatio Medica inauguralis, *de Claudicatione.* Lugd. Bat. 1793.

Verzameling van Waarnemingen over de borstwonden. Praemio ornata et inserta est haec disquisitio operibus, a societate Amstelaedamensi editis, hoc titulo: *Verhandelingen van het Amsterdamsch Genootschap ter bevordering der Heelkunde.* Vid. Vol. VI. A. 1801.

Ver-

Verhandeling over den Breukband, en deszelfs geschiedenis. Haec praemium reportavit a moderatoribus Legati Monnikhoffiani. A. 1801, Sed in editis ab hac societate dissertationibus non exstat, propter sumtus, qui in excudendis centum tabulis, huic scriptioni additis, erant impendendi. Vid. dictarum Dissert. Vol. III, part. 3.

Oratio, *de raro Medicorum principum proventu, ad amplificandam tamen Medicinam sufficiente.* Traiecti ad Rhen. A. 1817.

CHRISTIANI BERNHARDI TILANUS,

HARDEROVICO-GELRI,

MED. STUDIOSI IN ACADEMIA TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM
AB ORDINE MEDICO
PROPOSITAM,

SIC SE HABENTEM:

„ *Breviter distincteque indicetur modus et ra-*
„ *tio actionis Nervorum, quaeque ſint maxime*
„ *probabiles huius actionis explicationes*".

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

EXORDIUM.

Systema nervoſum priores in corpore animali agere partes, nemo ibit infitias. Homini inprimis inſtrumenta largiri debet, quorum ope mente ſua rationali utatur, et dotes ſuas, quibus caeteris antecellit animalibus, exſerat. Non igitur est quod miremur, ab omni aevo phyſiologos multum operae poſuisſe, in ſtructura et actione cerebri et nervorum indaganda, ut tali indagatione nostra intimae oeconomiae animalis cognitio augeretur.

Verum enimvero quamvis pulcherrimum et inquiſitione dignisſimum ſit hoc argumentum, magnis tamen difficultatibus dubiisque premitur, quibus circumſcripta nostra cognitio, et impotentia ea diiudicandi, quae ſenſus nostros fugiunt, nullam lucem afferre posſunt. Quo minus mirari ſubeat, doctisſimos omnis aevi phyſiologos, quamvis omnia, argumentum nostrum ſpectantia, ad Lydium quaſi lapidem exagerent, nil

nil tamen fere profecisse, ita ut etiam nunc nihil certi de eo constet.

Hoc animo volventi, inprimis mihi difficile visum est quod aggredior opus, respondendi ad quaestionem, de Nervorum actione, in Academia Rheno-Traiectina a Facultate Medica propositam, eoque magis cum mihi causa esset verendi, ne nimis alta petens, graviore caderem ruina; at vero animum quasi fractum, reficiebat Nasonis illud: *ut desint vires, tamen est laudanda voluntas*: cuius haud immemor, pro viribus, quas exiguas esse sentio, opus propositum perficere conabor. Itaque sequentem mihi ordinem proposui; ut

I Sectione agam *de Nervorum structura.*

II ——— *de eorum functionibus*, et

tandem III ——— *de vario modo, quo omnis aevi physiologi nervorum agendi rationem explicare studuerunt.*

Quorum autem in tractatione, causa brevitatis commendatae, praecipua tantum attingam; itaque multa sane in ea desiderabuntur.

SEC-

SECTIO I.

DE NERVORUM STRUCTURA.

Hac ſectione e propoſito noſtro acturi de Nervorum ſtructura, videamus primo breviter de ſententiis maxime diverſis, quas ab omni aevo auctores hacce de re foverunt, ut dein fuſius exponamus ea, de quibus recentior et perfectior anatome nos certiores reddidit.

Tempore Hippocratis et Ariſtotelis, quos fere Sec. 36. M. (*) vixiſſe conſtat, exigua erat nervorum notitia. Hi enim ligamenta et tendines cum nervis confundebant, et omnes has partes communi Nervorum nomine inſigniebant. A Praxagora et Eraſiſtrato eorum notitia iam aliquantum aucta fuit. Herophilus vero primus fuit, qui eos a tendinibus et ligamentis aliquo modo diſtinxit. Tres enim poſuit nervorum ſpecies, quarum prima eos continet, qui e cerebro oriuntur et voluntarii ſunt, ſive nervos proprie dictos: altera vero ſpecies eos complectitur, qui ab uno oſſe orti, in alterum in-

(*) Conf. Blumenbachi, *Introduct. in Hiſt. Medic. Litter. Goetting.* 1786. p. 23, 39.

inferuntur; tandem tertiae speciei nervos vocat; a musculis procedentes. Celsus (*) nervorum medullam non cognovit; locutus enim de nervis opticis et spinalibus, tantum membranularum, a membrana cerebri deductarum, mentionem fecit (**).

In summi Graeci medici et auctoris Galeni scriptis, plura de nervis, eorumque structurâ invenimus. Vir enim eruditissimus, qui Pergamo natus, regnante Marco Aurelio Romam veniens, ibi chirurgiae et medicinae praxin circiter annum 165 post C. N. exercuit, optime de re anatomica meritus est. Ligamenta et tendines recte a nervis distinxit; cognovit Nervorum substantiam mediam, seu medullarem, et eorum membranas: illam a cerebro, has a pia et dura meninge originem ducere censuit. Duriores nervos motorios, molliores sensificos esse, et hos a cerebro, illos a cerebello oriri, statuit. Nervos, uti etiam arterias et venas, non e rubro sanguine, sed ex albo semine generari putavit. Nervos opticos esse perforatos, a ventriculis anterioribus usque ad oculum, credidit, quia nondum noverat arteriam centralem. Per hunc meatum spiritum lucidum deferri dixit et

(*) Haller *Bibl. anat.* T. I. L. I. § 30.

(**) Celsus *de Med. Libr. VII. Cap. VII. art.* 14. *et Libr. VIII. Cap. I.*

et hinc per analogiam conclusit, reliquis omnibus nervis eosdem inesse meatus, per quos spiritus quidam deferretur, et quos in exortu spinalis medullae etiam visui patere perhibuit (*). Multi posteriorum scriptorum non a Galeno differunt. Per longum etiam tempus anatome post Galenum inculta iacuit, donec ab Italis denuo coli coepisset. Inter hos Berengarius simpliciter Galenum secutus est, porum vero in nervo optico negat (†). Andreas Vesalius autem, vir meritissimus, Galeni sententiam quoque probat, et non dubitat nervos vasa dicere, quamquam cavitates sensibiles non sint. Visorium nervum nunquam perforatum vidit (§). Ab iis vero dissensit V. Coiter, instaurator anatomes comparatae meritissimus, Groningae natus, dein medicus Norimburgensis, qui nervos intus compositos esse, ex filis diversis sibi contiguis, demonstrare voluit, quae in principio coöperta sint expansione piae matris usque ad foramina sui exitus, postea vero dura matre investiantur (**). Ean-

(*) Galeni, *Opera ed. Chart. T. IV. L. de osf. L. 9. de usu part. C.* 13. *T. V. L.* 7. *de* Hipp. *et* Plat. *decr. C.* 3, 4.

(†) Haller, *Bibl. anat. Tom. I. Lib. IV.* § 149.

(§) Vesalius, *de Corp. Hum. fabr. L. IV. C. I.*

(**) V. Coiter, *C. H. Tab. et Observ. Norimb.* 1573.

Eandem filiformen nervorum ſtructuram, ex chordis albis oblongis, nulla ſenſibili cavitate donatis, agnoverunt Caſparus Bauhinus, Bartholomaeus Gabrol, Andreas Laurentius et Joannes Riolanus. Poroſam autem ſive ſpongioſam ponunt eorum ſubſtantiam, quam ſpiritus animales tenuisſimi libere permeënt (*).

Novae ſententiae auctor fuit Renatus Des-cartes, externam nervorum tunicam durae matri continuatam esſe cenſens, quam conſiderat tamquam maiorem tubum, quo plures alii tubuli teneriores, a pia matre producti, continentur. Hisce, ſecundum eius opinionem, ineſt medulla, conſtans e tenuisſimis filamentis, e cerebri ſubſtantia prodeuntibus; quibus vero cavitas tubulorum non ita repletur, ut nulli ſpiritus tranſire posſint. Extremitates autem ramorum in musculis tunicas flaccidas formare finxit, quae inflari posſint a copioſiore ſpiritu adfluente. Tandem valvulas nervis tribuit (†).

Cel. Williſius putavit medullam cerebri protrahi in nervos, involvi primo a pia matre, dein et, egresſam ex osſeis partibus, a dura matre. Porro ex eius opinione medulla conſtat nervulis mi-

(*) J. Riolanus, *Opera omnia Par.* 1610. *pars anat. Sect. IV. C.* 4.

(†) R. Descartes, *de homine pag.* 19-25.

minimis, in cerebro seorsim ortis, qui, qua tales, per totum ductum usque ad finem decurrunt. Nervos non esse cavos perhibet, sed fila solida, intra quorum latera spiritus nervei moventur (*).

Audiamus vero meritissimum, olim civem nostrum, Antonium a Leeuwenhoeck, oculatissimum illum totius naturae observatorem. Microscopiis se detexisse gloriatur, cerebrum, medullam spinalem et nervos, totum quantum, e meris vasculis constare, humori alicui perviis; porro vasculorum parietes crassos esse, respectu exiguae cavitatis; denique se non tantum cavitates vasculorum nervorum conspexisse, verum etiam exilissima animalcula, aqua innatantia, libere per illas cavitates transcurrisse (†). Posteriorum nonnulli denuo nervorum cavitatem negarunt, uti Cl. Graanen, qui nervos constare demonstravit fibrillis cylindricis solidis innumeris, in rectum exporrectis, sed per fibrillas transversas intertextas in suo situ custoditis; hac conformatione finxit oriri canales triangulares, inter accumbentes fibrillas cylindricas, per quas nimirum vehantur spiritus (§); nec non Gode-

(*) Th. Willisii, *de Cerebri anatome Cap. XIX. in Oper. omn. Amst.* 1682.

(†) Leeuwenhoeck, *Epist. Physiolog. XXXII.*

(§) Graanen, *Tractatus physico-medicus de homine. Tab. XVII.*

defridus Bidloo, qui testatur se semper nervos vidisse constare e filis solidis, iuxta se positis et tela cellulosa iunctis, cum omnem iis cavitatem plane deneget (*). Cum quibus vero dissentit Clar. Raymundus Vieussens, nervos etiam considerans tamquam constantes e fibris medullaribus, e cerebro ortis, et membranis, piae et durae matri continuatis, inclusis; quam texturam plures intrare arterias et venas docuit; meatus porro in hisce fibris assumsit insensibiles (†). Boerhavius (§) et Heisterus (**) eiusdem ac Vieussensius fuerunt sententiae.

Guilielmus Cowper fibras nervosas cellulas continere globosas, quae originem ducerent immediate a vasis sanguiferis in fibrillas nerveas transeuntibus, affirmavit, fretus observationibus suis microscopicis, minime vero has cellulas e cerebro oriri, cum neque fibrae cerebri, neque nervorum, ipsi tubulatae apparerent (††).

J.

(*) G. Bidloo, *Opera anat. chir. Dec. I. Exerc.* I, 10.

(†) R. Vieussens, *Neurograph. univers. Lib. III. Cap. I.*

(§) Boerhave, *Instit. med.* § 281, 2 *etc.*

(**) Heister, *Comp. anatom. Tom. I.* § 301.

(††) G. Cowper, *Anat. Corp. Hum. L. B.* 1739. *Tab. X. fig.* 6.

J. B. Winslow nervum habet vas membranaceum, innumeris ſeptis membranaceis, oblongis, atque filis medullaribus inter haec ſepta ſitis, occupatum (*).

Summus nunc memorandus venit vir, Albertus Hallerus, qui ipſe nervorum indagans ſtructuram, decesſorum nonnullorum ſententiam confirmavit, de nervorum medulla, quam ſcil. etiam encephalo et ſpinali medullae continuatam deſcribit. Cum Williſio ſumit omnes funiculos, quibus nervi ſunt compoſiti, a cerebro aut medulla ſpinali ortum ducere et usque ad ultimum nervorum finem distinctos esſe. Vaſa rubra in iis invenit. Singula nervi filamenta a membranulâ, vasculis picta et piae matri continuata, cincta vidit, quae filamenta tela celluloſa inter ſe cohaerent, dum totus funiculus pariter a tela celluloſa ambitur, quam cum arachnoidea cerebri tunica continuari dicit. Per hanc telam celluloſam vaſa nervorum ſanguifera decurrunt. Negat, ſuis et Cl. Zinnii obſervationibus fretus, nervos durae matris continuatione investiri, excepto nervo optico, quem manifeste ab ea cingi invenit. Putat vero internam durae matris laminam reſolvi in eam telam celluloſam, quae funiculos nerveos in fu-

(*) J. B. Winslow, *Expoſit. Anat. ſtruct. corp. hum. T. III. p.* 235, 6.

funes maiores ligat, dum externa eius lamina reflexa continuatur cum pericranio. In telam cellulosam, quae funiculos nerveos ordinat, vaporem, ut in alias eius textus cavernulas, halare ex arteriolis observavit. Denique nervorum filamenta fistulas esse contendit (*).

Kirckland novum quid excogitare studuit. Medullam nervorum non constare e fibris perhibet, sed e substantia singulari mucosâ, conveniente cum simili cerebri mucosa materia; inde concludit nervos inservire, mucosae cerebri substantiae per totum corpus distribuendae, quae per eos, tamquam per canales, a dura et pia matre formatos, a cerebro ad totum corpus defluat, et in capite continuo a sanguine allato reparetur (†).

Ast curiosius aliquid nobis docuit P. D. Giovanni Maria della Torre. Per observationes enim microscopicas invenire se credidit, medullarem substantiam nervorum nihil aliud esse, quam accumulationem infinitorum globulorum transparentium et in fluido aliquo viscoso, satis pellucido, natantium, qui tamen in lineas fere rectas essent dispositi et fila aut fibras affec-

ta-

(*) Haller, *Elementa physiol. T. IV. L. X Sect. VI.*

(†) Kirckland, *Two diss. on the brain, nerves, Sympathy of nerves and irritability.*

tarent. Hos globulos sursum et deorsum fluere existimat, ad sensum et motum producendos.

Post eum Georgius Prochaska in peculiari tractatu *de structura nervorum* egit. Cum Hallero aliisque consensit substantiam cerebri medullarem nervos intrare, hanc statim in origine involucro arcto cingi, quod certo piae matri continuum sit, et nervos per totum decursum comitetur; porro tunicam arachnoideam et internam durae matris laminam, resolutas in textum cellulosum, eos per totum tractum involvere, defendere, atque vicinis partibus alligare. Haec tela cellulosa haud raro aliquid pinguedinis continet, et vasa, tam arteriosa quam venosa, multa, forsan etiam lymphatica. Involucro, a pia matre orto, fortem texturam et elasticitatem tribuit, et medullarem substantiam invenit constare immensa globulorum multitudine, inter se peculiari quodam ac elastico nexu cohaerentium, minime vero eos in liquore viscoso natare, uti della Torre existimaverat, credidit. Figuram iis tribuit non exacte sphaericam, sed irregulariter rotundam; magnitudinem eorum statuit se habere ad magnitudinem globulorum sanguineorum = 1 : 8. Quaestionem movet de hisce globulis, utrum sint glomeres vasculorum minimorum, an aliud quid?

Alexander Monro a°. 1783 *observationes* suas

ſuas *de Systemate Nervoſo*, lingua anglica Edinburgi edidit. Multa continent ſcitu dignisſima. Refellit erroneam Halleri, aliorumque multorum, ſententiam, ac ſi omnis cerebri medulla transiret in nervos, et eorum energia ab hocce viscere penderet. Potius enim dici posſunt nervi ſolummodo cum cerebro cohaerere, dum revera topice nutriuntur: nam, transverſim disſecto nervo ischiadico ranae, post elapſum annum pars nervi, infra ſectionem, eadem gaudebat rotunda et bene nutrita forma ac ſuperior pars. Pia mater per totum decurſum nervis partim eorum ſubſtantiam largitur, vel potius vaſa ſanguifera in ea contenta. Magnam obſervavit ſimilitudinem inter duram matrem et tunicam celluloſam nervorum; monet etiam non ſolum maiores funes, uti voluit Hallerus, ſed etiam minores nervorum funiculos tela illa celluloſa cingi. Nervis per microscopium viſis, quod 146^{ies} diametrum obiectorum augebat, ultima eorum fibra ei apparebant ſerpentina et convoluta, valde ſimilia convolutionibus ductuum ſeminalium in testibus et epididymide. Cum autem in omnibus non tantum animalium, ſed etiam vegetabilium et mineralium partibus, eandem hancce ſtructuram, ſi nempe per microscopium memoratum viderentur, obſervaret, concludit hic fallaciam opticam, nimia magnitudi-

nis

nis auctione et nimia lucis adhibitae quantitate productam, locum obtinere.

Pervenimus iam ad egregias illas obſervationes, quas Cl. Reil, (in *Exercit.* ſuarum *Anatom. faſc. I.*) de ſtructura nervorum cum publico communicavit. Vir ille eximius, (quem, praematura morte Germaniae et noſtrae ſcientiae ereptum, moerent iam omnes genuini artis ſalutaris cultores), peculiari chemica methodo uſus, cognitionem noſtram, de intima nervorum ſtructura, certe ad tantam perfectionem perduxit, ut fere nihil ulterius deſideretur. — Videamus igitur primo de iis, quae circa nervorum involucra detexit.

Funes Nervorum compoſiti ſunt e canaliculis, medullâ farcitis. Hanc fabricam organiſationi ſingularis membranae, quam *Neurilema* vocat auctor, debent. Hoc neurilema neque a pia meninge, neque ab ulla alia corporis parte gignitur, ſed iis ipſis locis, quibus apparet, materiae animalis attractione immediate procreatur. Facile diſtinguitur a tela celluloſa colore ſuo, ob transparentem medullam, lacteo, vel, ſi medulla iam corruptione ſit affecta, fuſco, et ab argenteo telae celluloſae colore ſatis diverſo. Medulla ſecundum neurilematis et extenſionem, et diminutionem, aut creſcit, aut decreſcit, quare voluminis mutationes, ramificationibus conve-

venientes, non ſic in nervis, ut in vaſis, obſervantur, et opinio falſa est, quodvis filum nerveum ſeparatim a peripheria ad cerebrum procedere.

Paucisſimae nervorum propagines cum cerebro et medulla ſpinali, per medullam ſuam et neurilema, in piam matrem transiens, immediate cohaerent, reliquae inter caeteras corporis partes libere finiuntur, ſola telâ celluloſa firmatae. Interni et ſubtiliores canaliculi, in funium vaginis contenti, paullo ante copulationem cum cerebro, iam cesſaviſſe videntur, ſaltem in nervis opticis, ubi tantum citra commisſuram hi canaliculi inveniuntur. In vaginae ambitu longius procedunt, in axi autem citius finiuntur, unde cavea oritur conoidea.

Neurilema conſtructum est e tela celluloſa, multis vaſis ſanguiferis et lymphaticis munita, quae tunica est ſatis firma, imo elasticitate praedita, cuius ope medullam arcte amplectitur, et per ſubtilisſima fila parum cum ambiente tela celluloſa cohaeret. Exigua haec cohaeſio motum quemdam neurilemati permittit, forſan ne medulla laedatur, valida corporis artuumque intentione.

Diameter canaliculorum, in quos nervorum funes ſolvuntur, differt pro variis nervis. In nervo ſcil. optico dimidiam lineam aequat, in caeteris vero nervis minor est. Hi canaliculi, longitudinem fu-

ſunium ſequentes, varias anastomoſes inter ſe ineunt, unde, expresſa medulla, per unum canaliculum omnis tunica hydrargyro repletur.

Neurilema hoc, ne nervis peregrinum et accidentale, vel tantum ad eos tuendos et corroborandos datum, conſideret, caveat quisque: in ipſa enim calvaria et vertebrarum ſpecu etiam eo vestiti ſunt, quibus locis nullo tutamine indigent. Medullae enim receptaculo inſervit, et iactura, quam haec in nervorum actione partium ſuarum conſtituentium patitur, ex ſanguine, neurilematis vaſis contento, continuo reſtituitur, quae tunica igitur est organon ſecretorium medullae.

Nervi itaque nulla definita gaudent origine, ſi illam referamus vel ad locum natalitium, vel ad partem, ex qua energiam petunt.

Tunica nervorum celluloſa neurilema ambiens extus laxa est, intus in denſam compactam texturam abit, argenteo colore gaudentem. A nervis ſeparata textum refert celluloſum, neurilema vero fibroſum. Omnes cingit nervorum funes, quorum duo, tres, quin et plures, in una vagina coniunctim ſunt poſiti, in qua alia pellucida et ſubtilisſima cellulari tela vestiuntur. Non ſeparari potest haecce tunica in duas membranas, unam a tela celluloſa, alteram a dura matre petitam, quod quibusdam placuit. Crasſior

et

et fortior est ubicunque nervi, inter musculos dispersi, maiori defensione indigent. Deëst fere in propaginibus nervorum, qui cerebrum et medullam spinalem adeunt, cum duram matrem superaverint. Interna durae matris lamina, nervum initio extra calvariam ambiens, in telam nostram cellulosam solvitur, excepto unico nervo optico, quem usque ac oculi bulbum cingit.

In cellulis telae huius cellulosae arteriae continuo vaporem animalem exhalant. Pinguedo etiam in iis invenitur.

Non vera, sed quasi peregrina nervi pars habeatur necesse est.

Haec de nervorum involucris, sequatur verbum de eorum divisione et medulla.

Omnes nervi, quales sese sensibus nostris offerunt, sunt fasciculi plurium *chordarum* seu *funium*.

Omnis nervus dividi potest in *corpus*, s. mediam partem, et *propagines*, s. extremitates. Numerus funium maior est in corpore, quam in propaginibus; sed numerus omnium nervi propaginum superat numerum funium in corpore.

Medulla, canaliculis neurilematis contenta, *fila* s. *fibrillas* nervorum sistit. Eorum crassities est diversa in singulis nervis, ubique tamen subtilissima. Fila haec, quamvis parallela iuxta

ta ſe poſita, nexu mutuo non carent, plexus, retia, anastomoſes invicem formantia; quare funem tamquam plexum filorum, ope neurilematis in unum corpus cylindricum colligatum, conſiderare licet.

Nervorum vaſa ſanguifera ſunt valde numeroſa, nam eorum fasciculi maiores ubique vaſa maiora comites habent. Arteriae ubivis pari ratione dividuntur ac nervi; in plures ramos ſecedunt; denſo numero ramos laterales ad nervos dimittunt, qui rami plurimum in duos discedunt, quorum alter nervum ſurſum, alter deorſum comitatur, ita ut ſubtilisſimae nervorum funes ſuas arterias comites habeant. Mirandae ſubtilitatis rete vasculoſum in neurilemate formant arteriolae, ex quo radiculi ſurculique neurilema perforant et ad canaliculos tendunt.

Vaſa lymphatica, an in neurilemate inveniantur, non inquaeſivit Reilius; verum non dubitat, quin revera adſint.

Et haec, quantum ad nostrum facit propoſitum, de nervorum ſtructura dicta ſufficiant. Sequitur nunc ut, ordine nobis propoſito, de eorum functione breviter agamus.

SEC-

SECTIO II.

DE NERVORUM FUNCTIONIBUS.

Nervos proxime inservire motui musculari excitando et sensibus variis in corpore animali constituendis, nemo est, qui dubitat.

Primum illud ut praestent officium, voluntatis imperia non tantum ad musculos etiam remotissimos, brevissimo tempore, deferunt, sed etiam in involuntarios motus, stimulo suo horum organorum contractiones excitando, suam exserunt vim.

Altera autem ut peragatur functio, variae impressiones, in sensuum organa a rebus externis allatae, ab iis receptae, statim communi sensorio communicantur, ubi anima earum conscia fit, vel etiam nonnumquam reactiones in alias corporis partes excitantur.

Quaeritur vero, an nervi praeterea nullum praestent usum? — Et huic quaestioni omnino affirmando respondendum esse mihi videtur, quamvis illae actiones nondum distincte in aprico poni possint.

Varia enim corporis animalis organa conſideranti, plura occurrunt, nervorum non exigua copia praedita, et tamen motu ac ſenſu plane destituta. Quem in finem v. c. adesſent nervi in intestinis, ſi eorum officium per ſenſum et motum excluſive terminaretur? — Qua de re cor, et viscera paralytica evadunt, disſectis eorum nervis? — Quid efficerent nervi in iis animalibus, quae ſibi non niſi imperfectas vel plane nullas formare posſunt repraeſentationes? — In monſtris, ſine cerebro et medulla ſpinali natis, attamen nervi reperiuntur. — Haec omnia facile probant nervorum vim, ad vitam et partium organiſationem conſervandas, neceſſario requiri. Quo modo? An *nutriendo?* Hoc de argumento fuſius videamus.

Plures veterum Phyſiologorum putarunt omnes corporis partes fluido nerveo, in cerebro ſecreto, et motui ſenſuique ſimul inſerviente, nutriri. Inter hos nominari debent Gliſsonius, Vieusſenſius, Williſius, Santorinus, Boerhavius, aliique. Nonnulli etiam ſuccum nerveum, viscidum et glutinis ſimilem, huic officio idoneum crediderunt. Dicebant nempe vulnerato nervo etiam eius artus nutritionem perire, et paralyticas partes gracileſcere. Ipſe Hallerus, licet acris fluidi nervei defenſor, hancce opinionem iam refutavit. Dicit

cit enim nutritionem lentiori, magisque viscido liquore egere, quem sensus et motus poscunt mobilissimum, atque lateri sui canalis quam minime adhaesurum: porro multas absque nervo in corpore humano partes esse, quae perinde nutriuntur: in aliis exiguâ copiâ adesse nervos, uti in vasto hepate, liene, et pulmonibus, quae igitur minime ab iis ali possunt. Dein atrophiam partis paralyticae derivat, a tota integritate et motu corruptis in artu, cuius laesus est nervus (*).

Post eum etiam Alex. Monro huic sententiae se opposuit. Existentiam enim cerebri ante cor (quam adversarii contendebant) Halleri experimentis refutatam esse dicit. Dein gracilescentiam partium paralyticarum a nonnullis physiologis valde exaggeratam esse posuit, quam porro non solum derivat a nervi laesione, sed etiam a diuturnâ semper eâdem artus positione et deficiente motu. Contra nutritionem corporis per cerebrum, ope nervorum, etiam adfert: 1° In diversis animalibus magnitudinem cerebri minime adaequatam esse celeritati, quâ crescunt, vel quantitati nutritionis, quam accipiunt; sic v. g. cerebrum bovis, licet huius animalis pondus sexies superet pondus hominis, non nisi quar-

(*) Haller *l. c. T. IV. Lib. X. Sect. VIII.* § 30.

quartam humani cerebri partem pondere aequat; inde sequeretur, bovis cerebrum vicies quatuor tantum nutrientis materiae parare, quantum portionem humani cerebri ei analogam. 2° In monstris absque capite natis, artus eundem habebant magnitudinem et perfectionem ac in aliis neonatis. 3° Organa, quorum nervi adeo sunt parvi, ut dissectione inveniri non possint, uti ossa, placenta etc. aeque celeriter crescunt, ac reliquae. 4° Anno elapso post abscissum nervum ischiadicum ranae viventis, hoc membrum altero non gracilius erat, et vulnera, ei inflicta, aeque celeriter sanabantur ac antea. 5um ab eo propositum argumentum minus firmo mihi niti videtur talo, dum quaerit: an organa nostra, colore et consistentia adeo differentia, possint nutriri a nervis, qui ubique apparent uniformes? — eadem enim obiectio nutritioni per sanguinem opponi posset, quod fluidum pariter in nullis non corporis partibus eandem monstrat indolem. 6° Addit argumentum, argumentum crucis dicendum; pulvere enim radicis rubiae tinctoriae alimentis iuniorum animalium intermixto, ossa inde rubro tinguntur colore, qui color etiam in sero sanguinis observatur, minime vero in nervis (*).

Alia

(*) A. Monro, *Observat. on the struct. and funct.*

Alia insuper addit argumenta quae nutritionem per arterias fieri probant (*).

Hisce igitur argumentis satis quidem probari videtur, nutritivam materiem minime nervis per varias corporis nostri partes distribui. Verum enimvero exinde non patet, efficaciam nervorum in nutritionem esse negandam. Hanc enim magnum existimo, ob actionem nimirum quam in arterias exercent. Quomodo enim alias explicaremus defectum nutritionis in partibus paralyticis, vel quarum nervi sunt dissecti, nisi accipiamus, nervos esse necessarios, ad energiam illam vitalem, cuius ope omnes vigent functiones, in arteriis sustentandam?

Nervorum deinde efficaciam in *secretionibus promovendis* non levis aestimamus momenti.

Dissecto enim vel ligato nervo glandulae submaxillaris, secretionem salivae tardius procedere observavit iam Cl. Nuck (†).

Probatur porro haecce efficacia ingenti secretionum vicissitudine stimulos psychicos sequente. Hoc quotidie v. c. observamus in lacrymantibus, ubi affectione animae tristi, vel etiam nonnumquam laeta, secretio in glandulis la-

funct. of the Nerv. Syst. Edinb. 1783. *Cap. XXV. Sect. IV.*

(*) *l. c. Sect. V.*

(†) A. Nuck, *Sialographia Cap. I. p.* 24.

lacrymalibus ita augetur, ut humor ille guttatim destillet; quod absque dubio explicandum est, ex maiori arteriarum actione, ab aucta energia, nerveo stimulo producta.

Quot dein, quam insignes humorum vicissitudines in nullis non nervorum morbis, sive febrilibus, sive spasticis, quotidie observandae nobis occurrunt, quae protinus cessant, ac nervorum actio pacata est!

Cl. Bichat eam nervosae actionis efficaciam levem habuit, ac nullius fere momenti, cum in nervorum vesicae resolutionibus, mucus tamen secernatur: cum in paralysi artuum inferiorum, erectio tamen penis et coitus obtingere possit: cum praesectis nervis, testiculus canis tamen pus conceperit: cum in hemiplegia, et auris, et nasalis membrana secretiones suas perficiat: cum uvulae resolutae glandulae tamen mucum excernant: cum rescisso nervo vago alterius lateris, bronchia eius lateris tamen mucum secernant: cum tandem, a convulsionibus partium, earum glandulae haud uberiorem laticis copiam producant.

Quae quidem argumenta nil probare, nisi sensibilitatem etiam post rescissos aut infirmatos nervos per aliquod tempus superstitem, recte animadvertit Sprengelius, dum addit, paralysin etiam artuum inferiorum necessario

 ener-

enervare vires genitalium non debere, quoniam spermatici nervi et pudendi, licet e lumbalibus et sacralibus oriantur, nequaquam tamen iidem sint ac cruralis et ischiadicus: et quotidie nos observare in paralysibus imperfectis superesse calorem, sensumque, cum secretionibus: minime vero inde aliquem colligere, sensum haud a nervis pendere (*).

Licet veterum nonnullorum opinio, ac si calor animalis in cerebro generaretur, et ex eo, nervorum ope, per totum corpus distribueretur, quam maxime sit erronea, nervorum tamen vis in *calore animali producendo* negari nequit. Maiorem enim systematis nervosi efficaciam, maiorem etiam producere calorem, ex eo etiam patet, quod in iis animalibus, quae maximâ gaudent cerebri mole, habita ratione reliqui corporis magnitudinis, etiam maximus caloris animalis gradus observetur, qui sensim decrescit, pro decrescente cerebri volumine (†). Huc accedit, quod nervorum actione in secretiones, et vasa capillaria (quibus hodie merito magna pars in calore producendo tribuitur) calor animalis necesse etiam ab iis regi debeat.

Di-

(*) C. Sprengel, *Instit. physiol. T. II. p.* 14.
(†) C. Sprengel, *l. c. pag.* 114.

Diverſas vero illas functiones ne quis absque diſcrimine omnibus nervis tribuat, caveat necesſe est.

Duo ſcilicet nervorum ſystemata in animalibus nobilioribus esſe distinguenda, recentiores Phyſiologi manifesto probaverunt. Alterum autem conſtituunt cerebrum, medulla ſpinalis et nervi in iis deſinentes; alterum vero ganglia et plexus nervorum, abdomen, thoracis cavum et collum occupantes, cuius centrum in magno illo ſolari ſ. coeliaco plexu invenitur, qui ventriculum circumdat. Primum illud nervorum ſystema, *cerebralis* nomine gaudens, voluntatis imperio ſubiectum est, nec non commercium animum inter et res externas conſtituit; nobiliori itaque illi vitae inſervit, quem *ſenſiferam* vocamus. Gangliorum nervi ad ea tendunt organa, in quae nullum est voluntatis imperium, et ad vitam *reproductivam* conſtituendam ſuas conferunt partes. Vita vero *irritabilis* ab utroque ſystemate ſimul pendere, ſatis probabile videtur. Denique monendum est, commercii ope, quod inprimis nervus ille ſympatheticus magnus, cum ramis 5i et 6i paris nervorum cerebralium et omnibus nervis ſpinalibus communicans, inter utrumque ſystema conſtituit, nonnumquam ex interioribus illis organis, morbo affectis, ſenſationes quasdam cum animo

com-

communicari, ut v. c, dolores colicos, voluntatem vero nullam unquam haec in organa exercere vim. — De aucta huius gangliorum systematis vitalitate, quae a Magnetismo animali produci videtur, disserendi locus hic non invenitur.

✻

SEC-

SECTIO III.

DE VARIO MODO, QUO OMNIS AEVI PHYSIOLOGI NERVORUM AGENDI RATIONEM EXPLICARE STUDUERUNT.

Antiquisſima certe opinio noſtrum ſpectans argumentum eſt ea, quae nervos conſiderat tamquam chordas muſicas tenſas, quarum actio *vibrationibus* perficitur. Brevi iam post Hippocratem orta fuit, ſtrenuisſimos autem defenſores nacta eſt in Fernelio, Argenterio, Helmontio. Inprimis vero Stahlius, eiusque Schola, nervos elateri agere, ac in oscillationes erumpere percusſos, cum magna animi contentione asſeruerunt.

Omnium vero eſt rudisſima. Ponit enim in nervis vibrationes et oscillationes apertas, quas quotidie in chordis muſicis, fortiter tenſis, obſervamus. Talis vibratio, a ſenſorio orta, per totum nervi decurſum transferretur ad musculos, etiam remotisſimos, vel verſa vice, a quoque ſenſus organo ad ſenſorium commune. In-

Infinitae certe huic hypothesi obstant rationes, quarum nonnullas paullo latius exponemus.

Prima scil. requisita chordae vibrantis sunt elasticitas et tensio, quae tamen in nervis desunt. Quid enim, quaeso, a molli et tenera nervi interna structura magis abhorret, quam elasticitas? Fibrae scil. medullares, in canaliculis neurilimatis contentae, pulpam referunt, quae vestigia impressa servat, pressione defluit, neque umquam figuram nativam recuperat. Medulla haec quidem e finibus canaliculorum dissecti nervi prominet, ab exigua neurilematis, eam continentis, vi elastica, quae vero minime sufficiat ad requisitam illam elasticitatem toti nervo impertiendam. Neque magis sunt tensi: abscissi enim non resiliunt vel breviores fiunt, sed, quod Hallerus iam monuit, ne distracti quidem brevitatem suam recuperant, at longiores potius manent.

Porro e physicis constat, vibrationes in corporibus elasticis simul cessare, ac cum corporibus mollibus et non elasticis in contactu ponantur, unde sequitur, nervos ad tales vibrationes exercendas, liberos esse debere et separatos a partibus vicinis. Manifesto vero patet situm et nexum nervorum huic conditioni minime favere. Nervi enim per totum suum decursum

un-

undique cincti sunt tela cellulosa mollissima, adipe, aliisque succis repleta; et cuius ope ubivis cum vicinis partibus cohaerent.

Deinde, ut vibratio per totam chordae cuiusdam longitudinem propagetur, chorda talis, directione rectilinea, non abrupta, ad finem suam decurrat oportet. Contrarium vero plane quid locum habet in nervorum decursu. Multis enim locis eorum decursus interrumpitur per plexus et ganglia in quibus plures rami invicem connectuntur, angulos inter se formant, et dein, mutatâ saepe directione, ulterius decurrunt. Tali structura certe omnis vibratio et oscillatio plane impediri debent. Accedit necessario perturbationes oriri in nervorum actionibus, si eorum fila vibrarent; ramus enim vibrans, in decursu suo cum aliis ramis cohaerens, eos certe etiam in vibrationem raperet, et sic confusus sensus in sensorio excitaretur. Sensus etiam non nisi sursum tendit, ita ut, nervo in humero puncto, non doleat digitus, dum chordarum vibrationes, uno puncto ortae, toti chordae, aeque deorsum ac sursum, communicentur.

Denique secundum hanc hypothesin, sensationes et in genere nervorum functiones, deberent esse eo vividiores, quo magis nervi ad chordarum tensarum naturam accederent. Contra-

trarium attamen obtineri experientia quotidie docet. In pueris enim, in quibus omnes corporis partes quam mollisſimae inveniuntur, impresſiones vividisſime per nervorum commercium ad ſenſorium deferuntur; dum ſenilis aetas, in qua omnes fibrae rigidum et ſtrictum habitum referunt, homines ad tardiores et obtuſiores ſenſationes disponat.

Et licet nonnulli, clari in arte, viri hanc ſententiam ornatius quodammodo propuſuerint, cum ſcil. à rudibus illis vibrationibus abſtinerent, et oscillationes topicas locum habere dicerent, in minimis nervorum elementis, contraria argumenta tamen minime refutantur.

Cl. Newtonus inter ſolida nervorum capillamenta aetheremque officium diviſit. Vibrationes autem aetheris, voluntatis poteſtate, in cerebro excitari ſtatuit, indeque per ſolida, pellucida, et uniformia nervorum capillamenta, in musculos propagari (*).

V. d. Monde nervos ſpirales contortos esſe ſcripſit et eo magis ſenſiles, quo ſpiralis linea arctior esſet (†).

Sic

(*) J. Newton, *Optice, Lib. III. Quaest.* 24.

(†) Van der Monde, *Esſais ſur la maniere de perfectionner l'esp. hum. T. I. p.* 377.

Sic Cl. Nicolaus Robinson in nervis sensificis machinulas papillares posuit, quae, a sensili obiecto percussae, in se mutuo oscillant et impressionem, quam passae sunt, ad animam porro transmittunt.

De Bordeu sensit nervos habere rugas, quae in eorum actione ampliores reddantur et vicissim minuantur (*). Hae tamen opiniones nullam umquam obtinuerunt auctoritatem.

Nonnulli vibrationem tunicarum nervorum coniunctim cum fluido nerveo agere putarunt, ita ut motus huius fluidi per vibrationes illas acceleretur. Inter hos eminent Gorterus, Ludwigius, Crusius et nostro etiam tempore Cl. Blumenbachius.

Ast vero satis iam diu in hocce argumento morati sumus, cum enim liquido demonstratum sit, actiones nervorum cum vibrationibus vel oscillationibus funiculorum solidorum minime comparari posse, ad *alteram* transeamus sententiam.

Iam a Galeno orta hypothesis de *spiritibus animalibus*, *nervos permeantibus*, plurimorum physiologorum suffragium tulit. Crediderunt enim huius opinionis sectatores, ultima nervorum fi-

(*) Haller, *l. c.* § 3.

filamenta cava esse, et humore aliquo subtilissimo, in cerebro secreto, pererrari; (cui alii spirituum animalium vel vitalium, alii fluidi nervei nomen imposuerunt), eiusque itu et reditu sensus et motus peragi. Quos omnes enumerare cum inutile ducam, sufficiat monuisse, inter eos maxime eminere Cl. Boerhavium, eiusque discipulum Albertum Hallerum, porro Unzerum, Tissot, Coopmans, Mayerum, Herz aliosque. Fortiter vero oppugnata est iam a Stahlio, et, inter recentiores, ab utroque Albino, Hartleyo, Hoffmannio, Ludwigio fil., Caldani, Metzgero, Arnemanno etc.

Argumenta praecipua, quibus nititur haecce opinio, sunt sequentia:

1um Scil. eius fundamentum praebent difficultates, quibus opinio de nervorum vibratione premitur; dicebant enim eius fautores; quia demonstratum est nervos non solidarum chordarum in modum agere, necesse est eos cavos esse et fluidum vehere.

2° Tanta est sanguinis, cerebrum adeuntis, copia, ut soli eius nutritioni inservire nequeat, exinde necessario sequitur, fluidum quoddam in eo secerni, quod per nervos, quasi per ductus excretorios, devehatur: non enim ea ex causa sanguis cerebrum adducitur, ut a venis reducatur.

3°

3° Nervi, ad perfectam usque corporis magnitudinem, crescunt, longiores fiunt, et ad extremum usque vitae finem nutriuntur: quod non explicari potest, nisi liquidum aut fluidum subtilissimum in iis admittatur, quod eos extendat.

4° Ligatis nervis perit sensus et motus partis: pressis vero his nervis infra ligaturam, motus aliquis in eam partem redit, si vero supra eam irritetur, nullus inde motus.

5° Adducitur subita Nervorum actio, sive in sensatione, sive in motu, neque sine fluido tali, rapidissime per nervorum canales adscendente et descendente, intelligenda.

6um Argumentum petitur ex analogia cum vasorum sanguiferorum functione.

Cum autem fluidum illud nerveum conspicuum reddi nequeat, differunt auctores de eius indole et proprietatibus. Nonnulli illud spirituosum, acidum et sulphureum invenere; alii aëreum, quod inspirari putabant ex atmosphaera per nares, et inde viam ei ad cerebrum patere. Aetheris nomine valde etiam celebratum est. Alii, quos inter Glissonius, hosce spiritus aqueos, albuminosos, fecerunt, quas vero conditiones in iis non inveniri, monet Hallerus, qui sequentes iis tribuit conditiones: oportet esse mobilissimum ad excitandos maximos mo-

motus idoneum et absque cordis potestate, a voluntate, et a ſenſuum impreſſione in motum cieri poſſe: deïn fluidisſimum, tenuisſimum et tamen adhaerere nervis, ne, ante munus abſolutum, nervum deſerat; porro inſipidum, inodorum, non coloratum, neque calidum, ne tali qualitate fluidum hocce perpetuo ſe menti repraeſentet.

Porro illud vocat activum, omni ſenſuum acie ſubtilius, tamen igne, aethere, electro et magnetica materie craſſius, elementum, ut et contineri vaſis, et vinculis coërceri aptum ſit, denique ex cibis noſtris comparandum, non ſine ſuſpicione partem tamen eius fluidi, non exiguam, ex rectore illo ſtirpium ſpiritu conſtare, quo recepto, ſpiritus noſtri augeantur, ut et ſenſuum acumen intendatur, et imaginatio ſuccedat vividior, et vires muſculorum increſcant. Oportet autem, haec mobilia elementa in raritatem quandam expanſa esſe, ut noſtros ſenſus non feriant. Reïicit vero ſententiam nonnullorum, quos inter pertinent, uti iam vidimus, Bauchinus, Gabrol, Riolanus, Carteſius, Williſius, Graanen, ac ſi in nervis inter ſolidos funiculos elementum ſpirituale moveretur. Nam elementum illud, aethere, electro, aut aëre craſſius, non videtur ea celeritate moveri poſſe, per vias celluloſis laminis fi-

filisque abruptas, quae poscitur a phaenomenis. Movetur igitur per fistulas, e quibus ultimae nervorum constant fibrillae. Duplicem ei tribuit motum: alterum a corde impressum, lentum, quo motu in foetu, homine dormiente, et in nervis, quorum auxilio anima nunc non utitur, spiritus continuo a cerebro ad nervorum fines tendunt; alterum rapidissimum, quem ad objectis, sensus ferientibus, aut ab anima, motum muscularem valente, accipit. Tandem ei videtur, pro parte saltem, fluidum hocce resorberi; cum vero ultimae fibrillae nerveae nos lateant, ita et eae sensus nostros fugiunt, quae inconspicuum liquorem reducunt (*).

Exposita sic fluidi nervei, nervos permeantis, hypothesi, examinemus nunc argumentorum, quibus nititur, pondus.

Quoad *primum*, hoc nihil valere facile liquet, cum nervorum actio, licet vibrationem reiiciamus, meliori modo explicari possit, quam per hancce hypothesin uti dein exponemus.

Ad 2um vero animadvertimus, magnam etiam sanguinis copiam adire lienem, glandulam thymum et thyreoideam, cum tamen, ad nostrum usque tempus, nullum fluidum detectum sit, quod in iis organis secernatur. Porro in nonnullis anima-

(*) Haller, *l. c.* § 13-19, 30.

malibus cerebrum tam parvum est, ut minime sufficiat, ad requisitam fluidi huius quantitatem, nervis propinandam; sic v. c. pisces valde parvo gaudent cerebro, ratione habita nervorum crassitiei et multitudinis, dum tamen eorum nervi maxima agilitate sint praediti. Dein ad putredinem seu corruptionem corporis adeo mollis et laxi, quale cerebrum est, arcendam, certe sanguis magna copia id adeat oportet, isque saepius renovandus.

Tertium argumentum nimis est imbelle. Topice enim augeri et nutriri nervos, e vasis suis sanguiferis, verosimillimum est: et hoc nil magis rationi obstat, quam topica nutritio et augmentum cartilaginum, aliarumque partium solidarum.

4° Ligatis nervis perire sensum et motum partis, non probat fluidum quoddam per ligaturam prohiberi in suo cursu, sed solummodo, laesa nervorum integritate, eorum actionem cessare! Integro porro adhuc nervo sub ligatura, hic etiam a pressione potest irritari et sic motus cieri: atque igitur hoc argumento non probatur portionem fluidi nervei, sub ligatura residuam, illa pressione ulterius protrudi.

Celeritas actionis in 5° argumento proposita nil probat. Ei opponimus quaestionem: an materies electrica, directionem metalli conducen-

centis secuta, ideo quod celerrima sit, per fistulas metallo inscriptas, decurrat?

6° Nullam comparationem instituere licet inter nervorum et vasorum sanguiferorum modum agendi. Ubi enim videre possumus vim, fluidum nerveum pellentem, sicuti eam observamus in cordis et arteriarum contractionibus, sanguinem pellentibus? In genere etiam argumenta, ex analogia depromta, fallacissima sunt habenda.

Ad hypothesin illam debellandam, inservit porro accuratior nostra nervorum intimae structurae notitia. Anastomoses enim et plexus, quos Reilius in medullaribus fibrillis observavit, potentissimum, fluidi cuiusdam regulari motui, per fibrillarum harum cavitates, obstaculum ponunt. Galvanicum vero, facile instituendum, experimentum, quod argumentum crucis contra fluidi nervei, nervorum tubulos permeantis, hypothesin sistit, a Cl. Soemmerringio propositum, est sequens: Crus ranae posterius praeparetur cum nervo ischiadico, solito more; dein transversim dissecetur nervus et eo situ ponatur, ut pars superior sita sit iuxta inferiorem partem. Excitetur nunc, ope metallorum, actio Galvanica, et cruris contractiones eodem modo sequentur, ac si nervus intactus esset. Sin autem actio nervi esset tribuenda fluido, nervorum

canales permeanti, nulla hic ſequeretur contractio, nam fluidum illud efflueret ex ſuperiore parte et deflueret ad latera inferioris, eamque non intraret (*).

Verbum adiiciamus de *tertia* nervorum actionis explicatione, ſc. de *Colliſione.*

Excogitata fuit illa hypotheſis et cum publico communicata, ab illuſtrisſimo, olim noſtro, Petro Campero. Postquam enim opiniones refutavit de nervis, chordarum ſolidarum ad inſtar agentibus, nec non de fluido nerveo, itu et reditu per nervorum canales, motum et ſenſum efficiente, ſuam opinionem hisce verbis exprimit: „ Veroſimile igitur videtur, nervos non esſe chordarum inſtar ſolidos, ſed canales regulares, liquidum vehentes ſubtilisſimum, valde elasticum, a cerebro, ac cerebello praeparatum. Concipimus ſimul, ultimas huius fluidi particulas ſphaericas esſe, ſibi contiguas, non niſi tardisſime avolantes, maximo gradu elasticas: Eas ſi cum globis eburneis, in directum poſitis, ſibi contiguis, conferimus, probatu facile erit, ictu minimo motum, vel vim allatam, per intermedias tranſitu-

(*) S. T. Soemmering, *Wederopneming van het Zenuwvocht door de Watervaten. p.* 11, 12.

turum, momento citius, et veluti in inſtante; ubi ultimus globulus deſinit, integer erit effectus, ac ſi directe ictus fuisſet " (*).

Hanc ſententiam, quam etiam amplexus est Cl. Ploucket, minime posſe admitti, facile liquet cuivis conſideranti, phyſicas leges, ſecundum quas motus, in ſerie recta durisſimorum globulorum eburneorum, propagatur, non quadrare in ſphaerulas fluidisſimas, cito citius in ſe ipſas confluentes, ita ut motus acceptus mox deſtruatur; ſed praeſertim eas non quadrare in nervos per ganglia, plexus, angulos obtuſos et retrogrados incedentes, quae eius generis motum non admittunt ſed intercipiunt. Mirum certe nobis videtur, ſagacisſimum Camperum de hisce non cogitasſe. Ernestus Platner fere eodem modo explicare ſtuduit nervorum actionem. Dicit enim nervos ſpiritu vitali, non cerebro adducto, ſed in ipſis nervis ſecreto, imbutos esſe, ut filum ſericum imbuitur materia electrica; dein ſenſus impulſum in fibris nervorum propagari, per ſpiritus huius vitalis — globulos, vel elementa (†)?

Quarta, ad nervorum actionem explicandam, ex-

(*) P. Camper, *Demonſtrat. anat. pathol. Lib. I. p.* 8.

(†) E. Platner, *Quaest. Phyſ. Lib. II. C. IV.*

excogitata hypothesis habetur Cl. Arnemanni opinio, quae vero mihi videtur potius vibrationis hypothesis modificatio esse dicenda. *Expansionem* scil. et *contractionem* nervorum in scenam vocat, ad functionum nostri corporis energiam sustentandam, quibuscum vibrationem et oscillationem quandam simul agnoscit (*). Rem eodem modo explicare studuerunt Darwinus (†) et Brandis, reiectis tamen omni vibratione et oscillatione; quam sententiam hic fulcire conatur, analogia actionis nervorum cum ea fibrarum muscularium. Affert enim, dissectis vel ligatis muscularibus fibris, eorum actionem perire eodem modo ac in nervis; eamdem vim musculos incitare, quae nervos in actum ducat; nos igitur ex arbitrio aliam huius actionis quaerere explicationem; et iure posse concludi, stimulo admoto in nervis, eodem modo ac in fibris muscularibus contractionem materiae organicae produci; quae vero contractio, peculiaris nervorum organisationis causa, ita sit modificata, ut nostris sensibus animadverti nequeat, usque ad sensorium pro-

pa-

(*) Arnemann, *Versuch über die Regeneration*, *Vol. I. p.* 301.

(†) E. Darwin, *Zoonomia*, *Lond.* 1794.

pagetur, et verſa vice ab animo, in nonnullis ſaltem nervis, excitari poſſit, quae tunc, usque ad huius nervi finem decurrens, ſtimuli loco in fibram muscularem agat (*). At vero huius ſententiae fautores certe non cogitarunt, musculorum ſtructuram toto coelo differre a nervorum fabrica, et ideo contractiones, quas in fibris muscularibus, firma ſtructura et fixo inſertionis loco gaudentibus, obſervare licet, non concedi poſſe nervis, partibus mollisſimis, canaliculis compoſitis et nullo firmo puncto inſertis; praeterea difficultates, quibus vibrationis hypotheſis premitur, ſuo loco recenſitae, hanc etiam debellant.

Recenſitis itaque praecipuis, de nervorum agendi ratione, opinionibus, quae usque ad ultimos praecedentis ſeculi annos excogitatae fuerunt, alia nunc memoranda venit nostri argumenti explicatio, quam, viginti circiter annis elapſis, primo tentarunt phyſiologi, nervos conſiderantes, tamquam *Conductores fluidi cuiusdam imponderabilis, ultra eorum fines vim ſuam exſerentis.*

Cl. ſc. Reilius primus ex coniectura ſcrip-

(*) I. D. Brandis, *Verſuch über die Lebenskraft*, § 10.

ſcripſit: Efficaciam nervorum ultra ipſorum materiem extenſam, extremitatesque eorum irritabili quaſi orbe efficientiae esſe circumdatas; quam opinionem ſequentibus argumentis ſuperſtruebat.

Nervi quidem dividuntur in musculis, quam ſubtilisſime, non ita ſubtiliter vero ac ipſae fibrae musculares. — Nulla est inter molem musculi nervorumque in illum ingredientium iusta proportio. — Nervus plerumque fibras musculares, ſaltem ſub introitu in musculo, transverſim ſecat, quod vix fieret, ſi quaevis fibrilla nervum recipere deberet. — Nullus adest continuus nexus nervum inter et fibram muscularem. — Quodvis cutis punctum ſentit: foret vero cutis continua lamina medullae, ſi in omni puncto ſentiente nervis opus esſet. — Pars, quae ſana ſenſu caret, haud raro a morbo, ipſius materiem animalem emolliente, ſenſibilitatem nanciscitur, etc. (*).

Interim Fr. Al. ab Humboldt varia inſtituebat experimenta, de ſtimulo Electritatis galvanicae (†) in partes animales. Inter multas

(*) In libro iam citato: *de ſtructura Nervorum.*

(†) Phaenomenon hocce nomen traxit a Cl. Galvani, Italo, qui detexit, ſimplici contactu duorum metallorum cum conductore humido, vel et anima-

tas magni momenti obſervationes ab eo factas, illa praecipue eminet, per quam praeſentiam illius orbis efficaciae nervorum, quam Reilius ſuspicatus erat, ſenſibus ſubiicere credidit. Scil. in crure posteriori ranae, cuius nervus iſchiadicus metallo erat armatus, coniungenda armatura illa cum parte musculoſa cruris, ope conductoris metallici, facillime contractiones ciebat; cum autem eaedem contractiones orirentur, ſi nervum caute transverſim disſecaret et eius fines ad distantiam ⅛ lin. poneret, concluſit ſe viſibilem reddidisſe *atmosphaeram* illam *ſenſibilem*, per quam nervi in distans agere posſunt. Idem phaenomenon obſervavit, ſi nervorum fines iuxta ſe ad eandem poneret diſtantiam. Experimentum non ſuccedit, niſi rana valde vivida fuerit et cruris praeparatio

-ce-

mali, electricitatem cieri. Hoc phaenomenon vario modo explicare ſtuduerunt phyſici, et plurimi eum in ſcopum fluidum quoddam peculiare asſumſerunt, quod ab inventore *fluidum Galvanicum* vocarunt; recentisſima vero experimenta analogiam probaverunt electricitatem vulgarem inter et fluidum istud Galvanicum, quod ab illa non differt niſi modo, quo cietur; hoc igitur vocant hodierni phyſici Electricitatem *per contactum*, illam vero Electricitatem *per frictionem*. Videatur praeter al. Berzelius, *Elemente der Chemie*, 1816. T. I. pag. 124.

celeriter instituta. Sensim vero distantia diminui debet, ita ut, 5 – 8 min. elapsis, nulla oriatur contractio, nisi nervorum fines se invicem tangant. Experimento instituto cum animalibus calidi sanguinis, v. c. cum muribus, cuniculis, et agno, successus idem erat, sed distantia, qua nervi agebant, non superabat $\frac{1}{2}$ lineam, quod explicari debet e vitali efficacia, post mortem celerius evanescente in hisce animalibus, cum in amphibiis longe diutius supersit (*).

Ad hasce igitur observationes explicandas, necesse est ut ponamus medium quoddam adesse superiorem nervi partem inter et inferiorem. Hocce medium ab ipsa nervi medulla, quam maxime differt. Non sistitur a fluido quodam stillatitio, nam nervorum finibus, per supposita vitrea sustentacula, in libero aëre elevatis, contractiones eodem modo ac antea observantur; quod dein probatur, sensibili illa efficaciae huius atmosphaerae diminutione, unde etiam se, tamquam a vi vitali pendentem, manifestat. Eius actio convenit cum actione calorici, lucis, vel fluidi magnetici aut electrici (†).

Alio experimento probavit Humboldt, atmos-

(*) F. A. von Humboldt, *Versuche über die gereizte muskel- und nerven-faser*, T. I. p. 213-219.

(†) Humboldt, *l. c. p.* 219, 220.

mosphaeram illam sensibilem non solum nervos, sed etiam alias animales partes, v. c. musculos, circumdare. Nervus enim cruralis ranae ponebatur lamina zinci, cui etiam frustulum carnis muscularis eiusdem individui erat impositum; Ranae crus tangebatur excitatore argenteo, cuius alterum brachium, statim ac carnem hanc distantia ¼ lin. appropinquaret, contractiones iam ciebat (*).

Doctiss. Rudolphi praesentiam fluidi cuiusdam conducentis inter nervorum fines, in hisce experimentis refellere studuit. Dicit enim phaenomenon hocce longe simplicius explicari posse e fluido galvanico, non solum per conductorem immediate applicatum, sed etiam distantia quadam in nervum ruente (†); quae vero explicatio, cum aliis experimentis et phaenomenis huius electricitatis, mihi minime congruere videtur. Praeterea etiam nonnulla phaenomena, a Reilio, tamquam suae coniecturae faventia, allata, alio modo explicatu facillima proponit. Sensilitatem v. c. cutis non derivandam putat ab activitate nervorum, ultra eorum fines extensa, sed potius a stimuli propagatione ad

(*) *l. c. p. 86. cf. etiam p. 233.*

(†) *Cf.* Reil, *Arch. f. d. Physiol. T. III. part. 2. p.* 195.

ad nervum vicinum, dum ponit ad minimum quintam cutis partem nervis conſtare; osſium autem, morbo affectorum, dolores explicandos esſe, vel ab osſis tumore, vicinas partes ſtimulante, vel a morboſa vaſorum ſanguiferorum osſis et periostei conditione, vel ab ipſorum nervorum, vaſa illa adeuntium, affectione, primario affectis maioribus ramis, e quibus deducuntur. Ad haec Reilius ſequentia animadvertit: quodſi quinta tantum cutis pars nervis conſtet, punctura in parte, nervo carente, per presſionem in vicinum ſenſationem produceret; haec autem ab acutisſimo acu excitata, in quovis cutis puncto, ſemper eadem est, dum presſione in nervum ſub et circumiacentem, ſenſus plane diverſus excitari deberet ab illo, quem ipſius nervi punctio producit; deinde probatu difficillimum esſet, recentis calli in osſibus fractis ſenſilitatem, a nervis, ubique in eo disperſis, pendere (*).

Attamen animadvertendum est, Humboldtium proprie non confirmasſe Reilii coniecturam: hunc enim rem alio modo intellexisſe, ex ipſorum verbis luculenter patet.

Humboldtius ſcil. e narratis experimentis hancce concluſionem deducit (†): „ Man kann

(*) Reil, *l. c. p.* 200, *in nota.*

(†) *l. c. p.* 218.

kann ſich um jeden Nerven, wie um einen magnetiſchen Stab, eine punktirte Lienie denken, welche den ſenſiblen und reizenden Wirkungskreiz desſelben bezeichnet". Reilius biennio post editum Humboldtii librum dixit (*): „Ich muſs bemerken, daſs ich unter dem reizbaren Wirkungskreiz der Nerven nicht etwan ein elastiſches Fluidum verſtehe, das gleich einem Heiligenſchein den Umfang der Nerven umſchwebt. Nein: ich denke mir darunter ein Vermögen der Nerven, den an ſie angränzenden Theilen, die nicht Nerve ſind, in einem verſchiedenen Maaſs, nach ihrer verſchiedenen Capacität, Reizbarkeit, und Empfindlichkeit mitzutheilen. Wie ſie dies bewerkſtelligen mögen, das laſs' ich völlig unentſchieden".

Quidquid ſit, ex obſervationibus inſtitutis, et cauto ratiocinio, mihi videtur maximo iure concludi poſſe: actionem nervorum perfici *ope fluidi cuiusdam imponderabilis*, quod, aliorum imponderabilium, v. c. lucis aut fluidi electrici, ad inſtar, ſine temporis diſpendio functiones ſuas exſerere capax est. Etiamſi ſphaeram ſenſibilem et irritabilem, e tali fluido ultra nervorum ultimas propagines formatam, reiiciamus,

(*) *l. c.*

mus, huius fluidi praesentia aliis tamen experimentis probari potest. Etenim in cruribus ranarum contractiones cieri posse absque ullo metallo, solummodo reflectendo nervo ischiadico denudato in musculosam lumborum partem, eaeque eo vehementiores, quo maior sit longitudo nervi denudati et aëre ambiente isolati (sit venia verbo), docuerunt etiam experimenta Humboldtii (*), ab aliis physicis post eum instituta atque probata. Neque plane reiicienda mihi videtur huius phaenomeni explicatio, quam proponit Vir sagacissimus; statuit scil. fluidum illud imponderabile in nervo, medio non conducente (aëre) circumdato, accumulari, ita ut differat a musculo = y; post aliquot temporis aequilibrium restituitur per nervi insertionem in musculo; sin autem, aequilibrio nondum restituto, nervus cum musculo in contactu ponatur, contractio sequatur necesse est, eo fortior, quo magis distet musculus a nervo (†).

Ne vero quis putet fluidum illud solum sufficere ad nervorum actionem explicandam, respiciendum est ad illa, quae supra de nervorum interiori structura monuimus. Ibi scil. exposuimus nervos constare canaliculis, neurilemate formatis,

(*) *l. c. p.* 32.
(†) *l. c. p.* 417, 418.

tis et fibrillis medullaribus farcitis, qui canaliculi, telae cellulosae ope, invicem in nervorum funes coniunguntur. Igitur verosimilimum videtur imponderabile illud, cuius ope quaevis nervi actio perficitur, a vasis sanguiferis, neurilemate contentis, secerni, una cum vapore vel halitu, in interstitiis nervorum cellulosis contento. Hicce vapor, totum nervum lubricando, multum conferre videtur ad eius actionem promovendam, dum praeterea considerari debet tamquam optimus subtilissimi imponderabilis fluidi nervei conductor.

Neurilema igitur, *medulla*, et *vapor* ille *nerveus* communiter requiruntur ad subtilius illud *fluidum imponderabile* in actum deducendum: a quibus quatuor tota nervi actio pendet. Et hinc facile refellitur obiectio, contra praesentiam talis fluidi nervum ambientis, a ligato nervo desumta. Quaerunt enim cur, nervo ligato, eius actio desinat, cum talis fluidi motus non a ligatura impediri posset. Respondemus autem nervi actionem minime tantum a fluido illo imponderabili pendere, verum etiam omnes nervi partes, illud conducentes, integras requiri.

Quod ad *naturam* huius fluidi imponderabilis, multum de ea philosophati sunt recentiores physiologi ac physici. Nonnulli illud analogum dixerunt materiae lucis, fluido electrico,

mag-

magnetico aliove. Alii, quos inter Girtanner et Ackermann, oxygenium eius principium habuerunt. Attamen nil certi de eo constat. Eius natura nos adhuc latet et forsan semper latebit: neque definire possumus, num processu quodam chemico-vitali in ipso corpore animali formetur, eique privum sit, an potius partem constituat fluidi cuiusdam aetherei, per totam rerum naturam diffusi. Ac ne fluidi quidem nervei nomen meretur; cum secundum Humboldtium non solum nervi, sed etiam musculi, aliaeque partes, ab eo animentur.

Alia quaestio est, an nervus, durante actione sua, tamquam *conductor mere physicus* sit considerandus? — num vero intima eius chemica mixtio, ratione polaritatis eum inter et partes adnexas, aeque ac in catena Galvanica clausa mutationem subeat?

Et profecto hic iterum nobis aquam haerere ingenue est fatendum. Quanta enim fiducia et auctoritate nova illa theoria, secundum quam omnes vitales processus functionesque, galvanicorum processuum in modum, polarica elementorum directione peragantur, et ubicumque manifesto, inter omnes animalis corporis partes, polaritates illae ostendantur, in vicina Germania ventilata sit, mihi tamen videtur nondum ita plane extra dubitationis aleam esse posita, sed va-

variis adhuc difficultatibus premi. Polaritatem illam nervos inter et musculos, huius systematis propugnatores evidenter demonstrari posse putant. Nervos scil. hydrogenio, musculos vero oxygenio scatere perhibent: dum nervorum velamenta inter et pulpam medullarem polaritas illa etiam locum habeat, hanc enim negative, illa vero positive electrica statuunt, unde concludunt nervos non solum Galvanismi conductores, sed etiam motores esse, ut cum Voltae columna comparari possint, processusque Galvanico-chemici continuô ab iis excitentur.

Tandem probabile mihi videtur, *eandem nervi irritationem simul motum in musculis et sensationem in sensorio producere.* — Scio equidem cum hacce opinione multas observationes, de sensu deperdito, superstite motu, in parte quadam morbose affecta, non congruere; explicationes vero huius phaenomeni pathologici, quas tentarunt physiologi, minime conveniunt. Distinctio enim veterum inter nervos motorios et sensificos minime usu venit, dum dudum iam demonstratum sit, eundem nervum partis alicuius motui et sensui inservire. Alii statuerunt in eodem nervo fibras separatas motui et sensui destinatas esse; hoc vero, cognita nervorum intima structura canaliculata, qui canaliculi anostomosibus et plexibus invicem sunt con-

iunc-

iuncti, non magis veri speciem habet. Posteriore tempore Treviranus dubia illa solvere conatus est: dum motum nervorum membranis, sensum vero medullae ope perfici putaret. Convenire posset haecce explicatio, si nervi unum canalem, medulla farcitum, constituerent, canaliculata vero eorum structura prorsus impedit membranarum et medullae separatam actionem. Phaenomenorum igitur talium pathologorum explicationem mittamus oportet, donec nos dies meliora doceat!

Sic igitur pensum, mihi propositum, pro viribus exiguis absolvi. Explicationem, quae mihi *maxime probabilis* videbatur, exposui; multum tamen ei deësse, et certam haberi minime posse, lubens fateor! Dolendum certe nostram intimae organisationis animalis cognitionem, etiamsi ab ultimo praecedentis seculi decennio usque ad nostrum tempus multum profecerit, tot ac tantis dubiis premi, et adeo variationi obnoxiam esse, ut hodie adhuc nobis cum Plinio causa sit querelae:

> *Mirum et indignum nullam artium Medicinâ inconstantiorem fuisse, et etiamnum saepius mutari, cum sit fructuosior nulla!*

STE-

STEPHANI IOANNIS MATTHIAE VAN GEUNS,

RHENO-TRAIECTINI,
LITT. HUM. CAND. IUR. STUD.
IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO,

AD QUAESTIONEM,

AB ORDINE
PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM

PROPOSITAM,

Quam vim habuerunt apud Romanos foeminae in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus? Adiiciatur huic disquisitioni foeminarum Romanarum characterismus.

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

Πάντες ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δὲ αἱ γυναῖκες.

CATO.

❀ ❀ ❀

Historia generis humani utriusque sexus historiam procul dubio continet, nec rite illi operam dederimus, nisi tam foeminarum, quam virorum efficaciam apud varias gentes consideraverimus. Vulgo existimatur gentium fata unice a viris pependisse, viros rebus administrandis praefuisse, viros leges dedisse, reges creavisse, bella gessisse, alia multa peregisse, quibus gentium conditio vel mutaretur, vel firmaretur; foeminas contra ad nihil aliud valuisse, nisi ad liberos procreandos et educandos ac res domesticas curandas. Quicumque vero, sive antiquarum, sive recentiorum gentium fata accuratius consideraverit, facile animadvertit, paucas ortas fuisse rerum conversiones, pauca memorabilia exstitisse, in quibus foeminae non aliquâ ratione suas egerunt partes. Ubique occurrunt foeminae, quae rerum domesticarum curâ non contentae, rebus politicis se immiscuerunt. Nullus vero populus talia nobis praebet exempla, qualia

apud Romanos exſtant. Iam inde a primis Romanorum incrementis usque ad gentis lapſum, modo palam, modo minus aperte, maximam vim habuerunt foeminae in res eorum politicas. Summi momenti foret, datâ operâ illud ostendere, eumque in finem univerſam Romanorum investigare historiam.

Nostrum vero propoſitum nunc tantum eo ſpectat, ut inquiramus, quam vim habuerint apud Romanos foeminae in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus, istique disquiſitioni Romanarum foeminarum characterismum adiiciamus, antiquorum ſcriptorum testimoniis ſingula firmantes.

Hac disquiſitione respondere conabimur quaestioni historicae, quam Academia Rheno-Traiectina propoſuit; etiamſi exiguas nostras vires tantis auſis impares ſentiamus.

Primum igitur varia bella civilia percurremus, foeminas, quae in illa ſuam vim exercuerunt, notabimus, easque accuratius depingemus; ut dein ad alias etiam progrediamur, atque ex earum omnium conſideratione, foeminarum Romanarum characterismum efficiamus.

PARS

PARS PRIMA.

FOEMINARUM ROMANARUM VIS IN RES POLITICAS BELLORUM CIVILIUM TEMPORIBUS.

§ 1.

Gracchorum seditiones.

Bella civilia, quae vulgo ita dicuntur, certe ante Marium et Syllam non exstiterunt; seditiones autem, quarum Tiberius et Caius Gracchus auctores fuerunt, inde ab anno U. C. 620. primum belli civilis dederunt speciem. Antea Patricii et Plebeii saepius sibi oppositi fuerant, turbasque in se invicem excitaverant; sed numquam cives aperto impetu alios cives aggressi fuerant, eosque trucidaverant; id demum obtinuit in Gracchorum seditionibus; illae viam straverunt, qua deinceps tot turbae civiles ortae sunt.

Non alienum igitur iudicamus a contemplatione bellorum civilium, etiam res gestas Graccho-

chorum considerare, atque indagare, quam vim foeminae in illas exseruerint. Magis etiam eo adducimur, ut Gracchorum seditiones nostrâ contemplatione comprehendamus, cum in Gracchorum historiâ statim occurrat foemina, dignissima profecto, a quâ disquisitionem nostram ordiamur.

Cornelia, Scipionis Africani filia, Gracchorum mater. Illam uxorem duxit Tiberius Sempronius Gracchus, cuius summa fuit laus in Republicâ administrandâ. Ex eo Cornelia duodecim liberos suscepit, quorum plurimi post patris obitum immaturâ morte decesserunt; matri superstites tantum fuerunt Tiberius, Caius ac Sempronia. His liberis educandis summas laudes sibi peperit praestantissima mulier. Filios tam praeclare informavit, ut magis etiam instituti, quam nati, ad virtutem crederentur (1). Illius diligentiâ filii inde a pueris docti, et Graecis literis eruditi fuerunt (2). Cornelia non tantum curabat, ut filii exquisitos haberent magistros; sed ipsa illos docebat. Unde Cicero statuit: filios, non tam in gremio educatos, quam in ser-

(1) Plutarch. *Vita Gracch.* p. 824.

(2) Cic. Brut. *Cap.* 27. Dialog. *de Oratorib. cap.* 28.

ſermone matris (1). His filiis felicem merito ſe iactare poterat; cumque Campana quaedam matrona, apud illam hospita, ornamenta ſua pulcherrima ostendisſet, Cornelia liberos ſuos e ſchola redeuntes ei monſtravit, tamquam ſua ornamenta praeſtantisſima (2). Regem Ptolemaeum, qui illam petebat uxorem, abnuit, ac maluit vidua liberorum educationi penitus vacare (3). In filios unice intenta erat, filios praeclarisſimos reddere ſtudebat, ipſa ſimul per filios incſarescere cupiebat. Filia eius Sempronia nupta erat Scipioni Africano minori, atque inde Cornelia vulgo ſocrus Scipionis vocabatur; iam vero Cornelia Tiberium ſuum et Caium excitabat, ut egregium aliquid praeſtarent, quo ipſa non tantum tamquam Scipionis ſocrus, ſed maxime tamquam Gracchorum mater omnibus innotesceret (4). Huic materno voto filii eximie ſatisfecerunt. Primum Tiberius, qui antea in bello Punico tertio fortisſimum ſe gesſerat, dein ad Tribunatum Ple-

(1) Cic. *Brut. Cap.* 58.
(2) Val. Max. *Lib. IV. Cap.* 4. *ex.* 1.
(3) Plutarch. *Vita Gracch. pag.* 824. *D.*
(4) *Ibid. pag.* 827. *E.*

Plebis adſcenderat, legem propoſuit de agris hostium devictis inter cives rite dividendis, prout antea lege Liciniâ ſancitum fuerat. Tali lege Plebem omnino ſibi devinxit; divites vero, qui agros devictos posſidebant, ſibi infestos reddidit. Variis difficultatibus remotis, Tiberius voti compos factus est; Octavius, eius collega, qui divitum parti ſe adiunxerat, Tiberio ſuccumbere debuit; lex Agraria fuit lata; plebs Romana ſummo honore Tiberium affecit. Cum vero deinceps Tiberius ulterius progrederetur, et contenderet Regis Attali Philopatris haereditatem plebis diſpoſitioni relinquendam esſe, ſenatum gravius etiam offendit, pluresque ſibi inimicos reddidit. Conſilium ideo ei datum fuit, ut denuo Tribunatum Plebis ambiret, eoque adverſus inimicos ſe muniret; ſed ipſo illo die, quo Tribuni creandi erant, adverſarii in Capitolio Tiberium aggresſi ſunt; ipſum, multosque eius amicos trucidarunt.

Cornelia graviter hac filii morte afflicta fuit, quod maxime cernimus in istis Caii Gracchi verbis, a Cicerone adductis: „ qno „ me miſer conferam? quo vertam? in „ capitoliumne? at fratris ſanguine redundat.

„ An

„ An domum? matremne ut miſeram lamentan-
„ temque videam et abiectam?" (1) Dein etiam Tiberii fato edocta, Caio prudentiam ſemper commendavit. Eius epiſtolae Ciceronis aetate celebrabantur (2), quas nobis tempore abreptas maxime dolemus; harum tamen fragmenta duo ſuperſunt, quae, licet parva, plurimum eo faciunt, ut Corneliam rite cognoscamus, et cernamus, quomodo filiis conſiliis ſuis adſtiterit. Fragmenta iſta epiſtolarum post Tiberii caedem ad Caium Gracchum miſſarum, hic negligere non potuimus, illaque integra hic apponimus.

Prius ſic ſeſe habet. „ Dicis, pulchrum eſſe
„ inimicos ulciſci. Id neque maius, neque
„ pulchrius cuiquam atque eſſe mihi videtur,
„ ſed ſi liceat republicâ ſalvâ ea perſequi;
„ ſed quatenus id fieri non poteſt, multo tem-
„ pore, multisque partibus, inimici nostri
„ non peribunt; atque uti nunc ſunt, erunt
„ potius, quam respublica profligetur atque
„ pereat".

In altero fragmento eandem prudentem, patriae amantem, et de filio ſollicitam matronam ſic audimus.

„ Ver-

(1) Cic. *de Orat. III. Cap.* 56.
(2) Cic. Brut. *Cap.* 58.

„ Verbis conceptis deierare ausim, praeter-
„ quam qui Tiberium Gracchum necarunt, ne-
„ minem inimicum tantum molestiae, tantum-
„ que laboris, quantum te ob has res mihi tra-
„ didisse: quem oportebat omnium eorum,
„ quos ante habuerim liberos, partis eorum
„ tolerare: atque curare, ut quam minimum
„ sollicitudinis in senecta haberem, utique quae-
„ cunque ageres, ea velles maxime mihi pla-
„ cere: atque uti nefas haberes rerum maiorum
„ adversum meam sententiam quicquam facere.
„ Praesertim mihi, cui parva pars vitae su-
„ perest, ne id quidem tam breve spatium po-
„ test opitulari, quin et mihi adverseris, et
„ Rempublicam profliges. Denique quae pau-
„ sa erit? et quando desinet familia nostra in-
„ sanire? et quando modus ei rei haberi pote-
„ rit? et quando desinemus, et habentes, et
„ praebentes, molestiis desistere, et quando
„ perpudescet miscenda atque perturbanda Re-
„ publica? sed si omnino id fieri non potest,
„ ubi ego mortua ero, petito Tribunatum; post
„ me facito, quod licebit, cum ego non sen-
„ tiam; ubi mortua ero, parentabis mihi,
„ et invocabis Deum parentem. In eo tempore
„ non pudet te eorum Deum preces expetere,
„ quos vivos atque praesentes relictos atque de-
„ sertos habueris. Ne ille sinat Iupiter, te
„ ea

„ ea perſeverare, nec tibi tantam dementiam „ venire in animum; et ſi perſeveras, vereor „ in omnem vitam tantum laboris culpâ tuâ re„ cipias, uti in nullo tempore tute tibi placere „ posſis (1).

Ne vero his epistolis in eam ducamur opinionem, Caium matri obſequium non praeſtitisſe. Quamvis iuvenilis fervor maternae prudentiae ſubinde adverſaretur, Caius ſummo amore Corneliam proſequebatur, eius conſiliis ſaepius utebatur, eiusque honorem adverſus inimicos maximo fervore vindicabat. Cum Caius legem proponere cuperet, quae Octavium Gracchorum adverſarium omni munere publico privaret, maternis conſiliis ab hoc propoſito destitit, ac palam id profesſus fuit. Populo id quam maxime placebat, quippe qui Corneliam, et propter patrem, et propter filios, plurimum veneraretur. Postea etiam Corneliae ſtatuam aeream erexit populus, quae ad posteritatem eius laudes transferret (2). Caius autem, non illâ prudentiâ uſus, quam commendaverat perſpicacisſima mater (3), fratris inſtar, Plebis privilegia adverſus Patricios vin-

(1) *Fragmenta* C. Nepotis *ſcriptis adiuncta.*

(2) Plut. *vita Gracch. pag.* 836. *E.*

(3) *Ibid. pag.* 840. *D.*

vindicavit; sed tandem optimorum conaminum victima cecidit. Cornelia hanc calamitatem magnanima tulit; quippe quae virtute moerorem vincere didicerat. Reliquam vitam in villâ suâ ad Misenum transegit, multos Graecos philologos aliosque hospitio suo excipiens; reges etiam dona illi mittebant, ac vicissim ab illâ accipiebant. Loca sacra, quibus ceciderant filii, tumulos illis dignos dicere solebat. Omnibus familiaribus gratissima erat, quum patris Scipionis vitam moresque exponeret; aut filiorum res gestas narraret. Multi prorsus stupebant, quod tantâ animi tranquillitate filiorum mentionem faceret, eorumque fata ita traderet, ac si prioribus saeculis viguissent; non satis animadvertentes, quantam efficaciam indoles egregia exercere possit ad pellendum moerorem (1).

Sic igitur Cornelia, ad senectutem usque, a Romanis aliisque culta fuit; cuius historiam hic fusius exposuimus, ut praestantissima haec foemina accurate cognosceretur. Prout Gracchorum seditiones bellis civilibus viam aperuerunt, ita Cornelia, istâ educatione, quam filiis praebuit, istis hortationibus, quibus utrosque incitavit, his seditionibus ansam dedisse videtur. Dein etiam suis consiliis ca-

(1) Plut. *vita Gracch. p.* 843.

cavit, ne Gracchorum conamina maiorem etiam turbam in Romanâ civitate excitarent.

Pares huic Corneliae paucisſimas foeminas Romanas inveniemus, cum, quod ad indolem, tum etiam, quod ad vim in res politicas. Aliae tamen ſingulae ſuis laudibus celebrantur, inter quas praetermittere hic non posſumus — Semproniam, Corneliae filiam, Scipionis Africani minoris uxorem. Hanc merito laudavit Valerius Maximus: „ nihil a ſuorum amplitudine degeneratam. " Equitius quidam Tiberii Gracchi filium ſe ſimulabat, atque ad plebis tribunatum evehi ſtudebat; cenſor vero Q. Metellus, aliique illum agnoscere nolebant, idque Lucium Apuleium, tribunum plebis, permovit, ut Semproniam in publicum produceret, quae, dato osculo, Equitium, tamquam fratris filium, agnosceret. Sempronia vero ſexus ſui imbecillitati non ſuccubuit, qua alii abuti cupiebant. Neque minaci vultu magistratuum, neque clamore plebis permota fuit, ut L. Apuleio morem gereret; Equitium repulit, istâque conſtantiâ ſuâ magnam vim in Romanae reipublicae conditionem habuit (1).

Non auſim huic Semproniae neque Corne-

(1) Val. *Max. III. Cap. 8. ex. 6.*

neliae matri, caedem tribuere Scipionis Africani minoris, cuius nonnulli historici illas accusarunt (1). Utriusque enim huius foeminae indoles a tali scelere abhorrere videtur.

Quantopere hoc tempore foeminae rebus politicis sese immiscere, virisque clarissimis affinitate coniungi studerent, palam nobis facit —

Antistia, Appii Claudii uxor. Appius, inscia uxore, filiam Claudiam Tiberio Graccho desponderat, ac domum redux uxori desponsam filiam narrabat. Haec vero muliebriter indignabunda, statim in eum sic invecta fuit: „ unde tanta festinatio? anne Tiberio Graccho illam despondisti " (2). Ipsa prius consuli cupiebat, quam maritus aliquid de communi filia statueret; sed Tiberii Gracchi affinitatem tanto pretio habebat, ut, ipsa inconsulta, filiam ei concedi pateretur. — Quamvis Livius (3) eadem referat de Scipione Africano minore, eiusque uxore Aemilia, quorum filia natu minor Tiberio desponderetur; Plutarcho hic maiorem fidem habemus, qui post Livium accurate rem indagavit.

Ea-

(1) Appian. Alex. *I. p.* 361.
(2) Plut. *vita Gracch. p.* 825. *E.*
(3) Liv. *Hist. L. XXXVIII. Cap.* 57.

Eâdem istâ aetate cernimus Liciniam, Caii Gracchi uxorem, consiliis suis marito adstantem, eiusque politicam agendi rationem regere studentem. Illa praevidebat, quod ipse Caius cernere nolebat; illa maritum praemonebat, eum perditum iri a fratris percussoribus. Cum Caius in forum procedere vellet, dum hostes arma illi parassent, Licinia, altera manu maritum, altera filiolum tenens, illum ab hoc proposito avocare studebat. Sed ipsam audiamus maritum hisce hortantem: „ Non „ ad rostra, mi Caie! te dimitto, ut antea, tri- „ bunum et legislatorem, neque ad bellum „ gloriosum, ut mihi, etiamsi quid humanitus „ passus fueris, honorificum certe luctum re- „ linquas; sed Tiberii sicariis temet ip- „ sum obiicis, inermem quidem pulchre, „ ut potius iniuriam patiaris, quam inferas; „ sed ad nullum Reipublicae usum pereas. „ Iam deteriores partes sunt victrices; iam vi „ ac ferro ius administratur. Si frater tuus „ ad Numantiam cecidisset, eius cadaver pacto „ nobis redditum fuisset; nunc et ego forsitan „ flumini vel mari cuidam supplex ero, ut „ aliquando corpus tuum detentum appareat; „ quid enim ultra legibus aut Diis fidem ha- „ bes post Tiberii caedem "? (1) Caius vero uxo-

(1) Plutarch. *vita Gracch. pag.* 841. *D, E.*

uxoris monita non audivit, eius amplexibus solutus in forum abiit; dum Licinia humi delapsa animae defectum pateretur, et domum fratris Crassi veheretur. Neque diu post factum est, quod Licinia vaticinata fuerat: Caius cecidit, ipsa ne dotem quidem sibi servare potuit, atque ab omni luctu abstinere coacta fuit (1).

§ 2.

Bellum Civile Marianum.

Gracchorum contentiones exemplum praebuerant belli intestini, quo cives civium sanguinem palam profunderent; illisque post aliquot annos graviora bella civilia successerunt. In hisce primum exstitit bellum inter Marium et Syllam, cuius belli tempore variae occurrunt foeminae, efficacia suâ in res politicas conspicuae.

Romanis bellum gerendum erat adversus Mithridatem, Ponti Regem, anno U. C. *665*; eiusque belli principatum Marius et Sylla, utrique sibi cupiebant. Marius auctoritate P. Sulpicii, tribuni plebis, adiutus, voti compos factus est. Sylla vero

(1) Plutarch. *vita Gracch. pag.* 842. *F.*

ro cum copiis ſuis Romam ingresſus, Marium coëgit, ut fugâ vitam ſervaret. Variis periculis Marius hac fugâ expoſitus fuit; tandem ad ſenem quemdam prope Minturnas ſe contulit, qui in vicinam paludem eum immiſit, ut ab equitibus inſequentibus tutus foret. Mox vero equites isti Marium ex palude eduxerunt, eumque nudum, coenoque oblitum, Minturnarum Magistratibus tradiderunt. Isti viri multum deliberarunt, quâ ratione Marium tractarent, cuius caedem adverſarii iusſerant; interim autem illius curam mulieri commiſerunt. Aderat Minturnis Fannia quaedam, foemina nobilis, quae antea impudicitiae rea, a Mario ſextertio nummo damnata erat, eamque ob cauſam Mario infesta credebatur. Illa vero istius ignominiae vindictam ſumere noluit; ope, quantacumque potuit, Marium adiuvit (1). Fanniae profecto maximam partem tribuendum videtur, Minturnenſes Mario pepercisſe; niſi haec illi bene conſuluisſet, Marius veroſimillime ſospes Minturnis non egresſus fuisſet. Marius igitur Fanniae vitam debuit; Fannia Marium ſervando omnibus istis an-

(1) Val. Max. *Lib. VIII. Cap.* 2. *ex.* 2. Plutarch. *vita Marii pag.* 427. 428.

anſam dedit, quae dein a Mario in Republica Romanâ geſta fuerunt.

Eâdem aetate viguit **Metella**, quam L. Sylla uxorem duxit, ſummoque loco habuit. Haec per Syllam in res politicas magnam vim exſeruit; haec Syllae conſilia ſaepius rexit. Cum populus Romanus Marianos revocare cuperet, Sylla vero id concedere nollet, Romani Metellam adierunt, ut ſuâ interceſſione hanc revocationem impetraret (1). Metella Syllam comitabatur, quocumque ſe conferret, etiam ad moenia Athenarum, quas ille obſidione cingebat. Ariſtion Athenarum tyrannus, aliique Athenienſes, qui, ut ipſum Syllam, uxorem quoque Metellam ludibrio habuerant, Athenis captis, eo graviori poenâ a Syllâ affligebantur (2). Dein etiam Metella Syllae nuntia fuit, Marianas partes Romae victrices eſſe factas; Syllamque incitavit, ut Romam rediret, ac ſuos vindicaret (3). Sic foemina iſta Syllae conſiliorum particeps erat, ejusque actiones regebat, quo magnam vim in civitatem Romanam habuit.

Aliam foeminam peculiarem prorſus hic praeter-

(1) Plutarch. *vita Syllae p.* 455.

(2) *Ibid. pag.* 460. *A.*

(3) *Ibid. pag.* 466. *B.*

termittere non posſumus, quae aperte ostendit, quantopere foeminae Romanae hoc tempore clarisſimorum virorum conſortium deſideraverint, ut ipſae per illos gloriam atque auctoritatem acquirerent. Significamus V a l e r i a m Mesſalae filiam, Hortenſii oratoris ſororem, a priore marito nuper divortio ſeiunctam. Haec Syllae vicina in gladiatorum ſpectaculo adſidens, e loco ſuo ſurrexit, ad Syllam a tergo acceſſit floccumque ex eius toga avulſit; dein in ſedem priorem rediit. Sylla respiciens, hanc agendi rationem magnopere mirabatur; cui respondit Valeria: „ Cuperem, Imperator! tuae „ gloriae tantillum particeps fieri."

Huius voti brevi compos evaſit audacisſima foemina. Sylla, postquam illius conditionem cognovit, Valeriam uxorem duxit. Inter illos enim, uti Plutarchus nativa adeo ratione depingit: *ῥίψεις ὀμμάτων ὑπ' ἀλλήλοις, παρεπιςροφὰς συνεχεῖς προσώπων, καὶ μειδιαμάτων διαδόσεις* tandem ſequebantur *ὁμολογίαι καὶ συνθέσεις περὶ γάμων* (1).

(1) P l u t a r c h. *vita Syllae pag.* 474. *C. D.*

§ 3.

Bellum Catilinarium.

Quemadmodum foeminae in variis Romanorum bellis civilibus magnam vim exſeruerunt; in nullo profecto vis iſta foeminarum adeo elucet, atque in bello Catilinario. Coniurationi Catilinariae maximam partem foeminae anſam dederunt; foeminae illius ſociae fuerunt; ſed foeminae quoque prohibuerunt, quo minus hac coniuratione Reſpublica Romana penitus everteretur. Primo loco hic notanda erit Aurelia Oreſtilla, quae nubere Catilinae dubitabat propter filium, cui hae nuptiae non placuisſent (1). Hunc autem e medio ſuſtulit Catilina; eaque res Salluſtio merito viſa fuit cauſa fuisſe facinoris maturandi: „ Namque animus impurus," (ut ille ait) „ Diis „ hominibusque infeſtus, neque vigiliis, ne„ que quietibus ſedari poterat; ita conſcientia „ mentem excitam vaſtabat " (2). Oreſtilla igitur Catilinam ad tale flagitium impellendo, reliquis ſceleribus aptiorem illum reddidit. Aliae vero foeminae magis aperte coniurationis Catilinariae participes memorantur. Multae mulie-

(1) Appian. Al. *de Bell. Civ. II pag.* 428.

(2) Salluſtii, *Bell. Catil. Cap.* 15.

lieres illi ſe adiungebant, luxuriâ perditae, quae rerum novarum ſtudio ducebantur, ut de aere alieno non tenerentur, vel a maritis liberarentur. Catilina per illas ſervitia urbana ſollicitare, earumque viros ſibi adiungere, vel e medio tollere poſſe credebat (1).

Ut istarum foeminarum mores cognoſcamus, iuvat hic adducere effigiem, quam Sallustius nobis reliquit Semproniae, inter has coniuratas valde conſpicuae. „ Haec mulier, quae „ multa ſaepe virilis audaciae facinora com„ miſerat, genere atque forma, praeterea vi„ ro, liberis ſatis fortunata: litteris Graecis „ atque Latinis docta: pſallere, ſaltare elegan„ tius, quam neceſſe est probae: multa alia, „ quae inſtrumenta luxuriae. Sed ei cariora „ ſemper omnia, quam decus atque pudicitia „ fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud „ facile decerneres: lubido ſic accenſa, ut ſaepius „ peteret viros, quam peteretur. Sed ea ſaepe „ antehac fidem prodiderat, creditum abiu„ raverat, caedis conſcia fuerat, luxuriâ atque „ inopiâ praeceps abierat. Verum ingenium „ eius haud abſurdum; poſſe verſus facere, „ iocum movere, ſermone uti, vel modesto, vel „ mol-

(1) Sallustii, *B. II. Catil. Cap.* 24. App. Al. *l. l.*

„ molli, vel procaci; prorſus multae facetiae, „ multusque lepos inerat " (1).

Huiusmodi foeminis adiutus, Catilina Romanae civitati interitum parabat.

Aliae vero foeminae huius coniurationis ſucceſſus proſperos inhibuerunt. Aderat inter Catilinae coniuratos Q. Curius, vanitate ac garrulitate inſignis, cum F u l v i a quadam, muliere nobili, clandestinâ conſuetudine iunctus. Haec foemina ex Curii vaniloquio intellexit, quantum Romanae reipublicae immineret periculum; idque, auctorem reticens, compluribus indicavit. Huius rei fama multos permovit, ut M. T. Ciceroni conſulatum mandarent, qui ad eam dignitatem evectus, fortiter coniuratis reſistere potuit (2). Fulvia igitur, reipublicae periculum indicando, effecit, ut Ciceroni facultas daretur, qua cunctis viribus illud averteret. Niſi Fulvia reipublicae ſaluti conſulere maluisſet, quam coniuratorum partibus ſe tradere; incautos Romanos Catilinarii facile ſuperasſent. Deinde civitati etiam utilisſima fuit Fulvia, cum coniuratorum conſilia, ſibi a Curio expoſita, continuo Ciceroni nuntiaret (3).

Ca-

(1) S a l l u s t. *l. l. Cap.* 25.

(2) *Ibid. l. l. Cap.* 23.

(3) S a l l u s t. *l. l. Cap.* 23.

Catilinae duo equites se obtulerant, ut Ciceronem, coniuratorum propositis molestissimum, e medio tollerent. Constituerant, ut, cum armatis hominibus, velut salutandi causâ, eâdem nocte ad Ciceronem introîrent. Fulvia vero, cui Curius hoc propositum prodiderat, cum Cicerone illud communicavit; eoque effecit, ut Cicero istâ nocte adversus coniuratos sese muniret, ac postridie Catilinam in senatu palam aggrederetur (1). Huic igitur foeminae Cicero vitam debuit; totaque civitas Romana per illam a maximâ calamitate liberata fuit.

Nec vero Fulvia sola fuit foemina, quae Ciceroni vim tribueret in Catilinarios.

Terentia quoque, Ciceronis uxor, adversus istos eum incendit, atque audaciâ implevit. Terentia ista, οὐδὲ πραεῖά τις οὐδὲ ἄτολμος τὴν φύσιν, ἀλλὰ φιλότιμος γυνὴ, uti Plutarchus ait, magis politicis mariti consiliis se immiscere solebat, quam illum domesticae curae participem pati. Haec foemina, unde omnes opem petere solebant (2), maritum regebat, et ab eo multum impetrare poterat. Id etiam oppor-tu-

(1) Sallust, *l. l. Cap.* 28. Cic. *Orat. Catil. I. Cap.* 4. Plutarchi *vita* Cic. *p.* 868. *D.*
(2) Cic. *Epist. ad* Terent. *II. Epist.* 14.

tunitate huius coniurationis Catilinariae palam fecit.

More Romanorum in aedibus Ciceronis, quippe eo tempore Consulis, nobilissimae foeminae, praeëunte Terentiâ uxore, praesidibusque Virginibus Vestalibus, annua Bonae Deae festa celebrabantur. Istis mulieribus sacrificantibus splendida flamma sese obtulit, quam Vestales tamquam faustissimum omen accipientes, Terentiam emiserunt ad monendum Ciceronem, ut intrepide exsequeretur, quae ad Reipublicae salutem sibi proposuisset. Cicero eâdem nocte, propter Bonae Deae sacra aedibus suis celebrata, domum cuiusdam amici ingressus, multum deliberaverat, qua ratione Catilinarios opprimeret; iam vero, nuntio isto a Terentia accepto, eius hortationibus permotus fuit, ut fortiter coniuratos aggrederetur (1); postridie in senatu sententiam defendit istos coniuratos morte damnandos esse; mox illos in carcere interficiendos curavit. Postquam Cicero isto die hac re occupatus fuerat, vesperâ per forum domum se conferebat; eoque itinere non tantum a viris, sed maxime etiam a foeminis summo honore afficiebatur. Mulieres,

(1) Plutarch. *vita* Cic. *p.* 870.

res, quae antea coniurationis fama perterritae, magnopere sese adflictaverant, ac superbia deliciisque omissis, sibi patriaeque diffiderant (1), laudibus summis Ciceronem extollebant; ex tectis praelucebant, ut eum contemplarentur, atque honorarent (2).

Sic igitur Terentia, sive revera flamma quaedam non vulgaris Vestales Virgines in huiusmodi opinionem induxerit; sive iam antea inter illam et Ciceronem de huiusmodi nuntio ferendo convenerit; sive etiam ipsa eiusmodi quid confinxerit, ut efficaciam in Ciceronen exsereret; maiorem vim Ciceroni praebuit, ut Catilinarios opprimeret, ansamque dedit, ut Respublica Romana a magnâ calamitate feliciter liberaretur.

Aliis etiam temporibus summa Terentiae fuit efficacia in consilia Ciceronis politica. Clodius clandestino amore Pompejae, Caesaris uxori, coniungebatur; illamque visere cupiens opportunitate Bonae Deae sacrorum utebatur, quae in aedibus J. Caesaris peragebantur, muliebri veste indutus aedes istas ingressus fuerat; sed paullo post ab ancillâ quadam agnitus, atque Aureliae curâ detectus fuit. Dein ve-

(1) Sallust. *l. l. Cap.* 31.

(2) Plutarch. *vita* Cic. *p.* 871.

vero huius facinoris reus contendere ſtuduit, ſe isto tempore Romae non adfuisſe, quo Bonae Deae festum celebratum esſet. Ipſe Caeſar, quamvis Pompeiâ repudiata Clodium non damnabat. Cicero vero testimonium protulit, ſe, ipſo peractorum ſacrorum die, Clodio Romae obvium fuisſe. Idque Cicero testatus fuisſe non videtur, propter aequitatem, vel propter ſimultatem cum Clodio peculiarem, ſed ut dominae ſuae Terentiae morem gereret (1).

Clodius enim, Catilinaria coniuratione flagrante, Ciceroni ſe adiunxerat, illique amicum ac defenſorem ſe praestiterat; Terentia vero, quae Clodium credebat ſororem Clodiam Ciceroni uxorem daturum, Clodio infestisſima erat, ac Ciceronem incitabat, ut illum hocce testimonio premeret. Ipſe Clodius deinceps id fatebatur, ideoque quodammodo cum Cicerone reconciliatus fuit (2); ſed ſpecie magis, quam re verâ conciliatio ista obtinuit. Testimonium istud a Cicerone latum Clodium adeo in Ciceronem exacerbavit, ut deinceps auctoritate pollens gravisſimam de istâ iniuria vindictam ſumſerit, Ciceronemque coëgerit, ut in exilium abiret.

Om-

(1) Plutarch. *vita Cic. pag.* 874, 875.
(2) *Ibid. pag.* 876. *A.*

Omnes igitur turbae, quae propter istam Clodii a Cicerone alienationem in civitate Romanorum exſtiterunt, hisce Terentiae incitamentis originem debuerunt. Eadem vero Terentia ſummâ ope niſa fuit, ut Cicero Romam revocaretur; eius calamitates quam maxime levare ſtuduit, idque feliciter etiam peregit. Ex Ciceronis epiſtolis aperte illud intelligimus. Litteris multorum et ſermone omnium ad Ciceronem perferebatur, incredibilem Terentiae fortitudinem esſe, illamque, nec animi, nec corporis laboribus defatigari (1). Cicero ab illâ omnia fortisſime et amantisſime fieri cernebat; illam omnes labores excipere, in illâ omnia esſe videbat. Terentia Romae magnâ contumeliâ, Ciceronis gratiâ, afficiebatur, ac vendebat, quae ipſa ſibi propria haberet, ut Ciceronis cauſam agere posſet (2). Terentia literis continuo Ciceronem certiorem faciebat, quid ei agendum esſet; in quemnam locum ſe conferret; quae Romae peragerentur, aliaque multa illi utilia mandabat (3). Ipſa ad Ciceronem ſe contulisſet, ut in exilio ei adſtaret; hic vero, qui ſciebat, magnam oneris partem Romae ab illa

(1) Cic. *Ep. ad Ter.* 1.
(2) Cic. *Ep. ad Ter.* 2, 3, 4. *caet.*
(3) Cic. *l. l.* 3.

illa sustineri, istic Terentiam remanere malebat. Tempore huius exilii, ac deinceps quoque, literis suis Cicero Terentiam continuo optimam, fidissimam, ac suavissimam suam vocat uxorem; saepius ei significat: illâ sibi carius nil esse, nec umquam fuisse. Tandem vero manifeste ostendit, laudes istas non ex constanti animi sententiâ, sed obsequii causâ Terentiae tributas fuisse; vel ex imbecillitate quâdam originem duxisse. Terentiam enim, quae rebus politicis se immiscere malebat, quam rei domesticae assiduam curam habere, senex repudiavit, ansam arripiens ex aere alieno, quo illa ipsum oneraverat (1). Cicero deinde Publiliam quamdam, divitiis se commendantem, duxit; Terentia etiam ad secunda ac tertia vota transiit, annumque aetatis centesimum tertium explevit (2).

In Ciceronis historiâ versantes, negligere hic noluimus Tulliam, praestantissimam Ciceronis filiam, quae in Ciceronem, eiusque consilia politica summam vim exercuit. Hanc pater plurimum amabat, eique petenti lubenter satisfaciebat. Tullia scribendo Ciceroni consilia dabat, vel amicorum sententias cum eo communicabat

(1) Plut. *vit. Cic. p.* 881.
(2) Val. Max. *VIII. Cap.* 13. *ex.* 16.

bat (1); aut ipſa ad patrem ſe conferebat, ut ſuâ praeſentiâ illum bearet. Cicero ex eius virtute, humanitate et pietate ſummam capiebat voluptatem (2). Tullia primum Piſoni, dein Craſſipedi, tandem Dolabellae nupta fuit; cuius animum turbulentum ſua prudentia viſa fuerat temperatura (3). Divortio tamen ab eo ſeparata fuit, pauloque post interiit; quâ morte Cicero tantâ triſtitiâ afficiebatur, ut neque philoſophi, neque amici, ſive ſcripto, ſive voce, illius dolorem ſedare posſent (4).

Itaque iam conſideravimus, quantam efficaciam foeminae exſeruerint in res Romanorum politicas, tempore belli Catilinarii, ut et in Ciceronis fata, cuius tanta auctoritas apud Romanos fuit. Progrediamur deinde ad bellum Caeſarem inter et Pompeium, cuius ſpatio foeminae multum quoque ad civitatis conditionem contulerunt.

(1) *Ep.* Cic. *ad Att. X.* 8.
(2) *Ep.* Cic. *ad Att. XI.* 17.
(3) *Ep.* Cic. *ad Fam. VIII.* 13.
(4) Plut. *vita* Cic. *pag.* 882. *A.*

§ 4.

§ 4.

Bellum Caesaris et Pompeii.

Magnam vim in civitatem Romanam habuit I. Caesaris cum Pompeio coniunctio. Hanc autem sola effecit Iulia, Caesaris filia, Pompeio in matrimonium data.

Iulia ista pacifici erat ingenii, Pompeiumque perquam diligebat, adeo, ut tunicam Pompeii sanguine maculatam cernens, post turbas quasdam in foro exortas, statim animi deliquium pateretur (1). Haec igitur, et apud patrem Caesarem, et apud maritum Pompeium, suâ efficaciâ utebatur, ut pacem inter illos servaret.

Lucanus eam hac de causâ sic alloquitur:

„ *Tu sola furentem*
„ *Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem,*
„ *Armatasque manus excusso iungere ferro,*
„ *Ut generos soceris mediae iunxere Sabinae*" (2).

Dum vivebat Iulia, tranquilla erat reipublicae conditio; sed vix illa morte immaturâ discesserat, quin subito Caesar et Pompeius ansam

(1) Plut. *vita* Pompeii *p.* 647.
(2) Lucani *Pharsal. l. v.* 115 - 118.

ſam quamdam arripere ſtuderent, ut arma in ſe invicem converterent.

Istâ aetate plures eiusmodi nuptiae viros in republicâ pollentes inter ſe iungebant: quod Cato maximopere reprehendit, intolerabile aiens, viros per foeminas ad imperia militaria, ad munera, ad auctoritatem omnino qualemcumque ſeſe invicem evehere (1). Ipſe Cato, quum Pompeius, Iulia nondum uxore ductâ, illius filias utrasque, ſibi aç filio Sexto uxores peteret, ut Catonem ſibi devinciret, Pompeio morem gerere noluit, etiamſi filiabus uxorique Catonis, gloriae et auctoritatis ſtudioſis, tales nuptiae acceptisſimae viderentur (2). Quantum hoc tempore foeminarum aura captaretur ab iis, qui auctoritatem ſibi in civitate quaerebant, ex I. Caeſaris exemplo patet. Hic enim bellis Gallicis occupatus, aurum, argentum, reliquamque praedam Romam mittebat: his donis non tantum Magistratus complures, ſed et eorum uxores ſibi adiungere, ſimul Pompeii potentiam labefactare ſtudens. Dein quoque e Gallicis bellis reduci, obſequii gratiâ, vi-

(1) Plut. *vita Caeſ. p.* 714. App. Al. *II. p.* 435.

(2) Plut. *vita Pompeii, p.* 642. *C.*

virorum *mulierumque* ingens numerus Caesari obvius ivit (1).

Post Iuliae obitum Pompeius uxorem duxit Corneliam, Metelli Scipionis filiam, quam maximo prosecutus est amore, consiliorumque participem habuit. Haec foemina formâ, ingenio, moribusque magnopere praestabat; literarum, musices, geometriae, ut et philosophiae peritiâ se commendabat (2). Bello inter Caesarem Pompeiumque flagrante, Cornelia in Lesbum abiit, ut illic pugnae eventum exspectaret; rebusque feliciter a Pompeio ad Dyrrachium gestis, multi ad illam in Lesbum navigarunt, ut istius victoriae nuntium illi ferrent (3). Interim vero rerum facies magnopere mutata fuit: Pompeius in fugam se convertit. Cornelia, quae marito victori obviam ire cupiebat, fugitivum sibi appropinquantem cognovit. Hacce calamitate compertâ, Cornelia prorsus obstupuit; exanimis humum delapsa fuit; mox autem vires recollegit, ad mare se contulit, ut cum Pompeio aufugeret. Quum in Pompeii conspectum venisset, sibi fatoque suo infausto infortunii causam attribuit. Pompe-

(1) Plut. *vita Pompeii p. 646. B.*
(2) *Ibid. p.* 648. *E.*
(3) *Ibid. p.* 654. *C.*

peius mox illam sedavit, atque ad spem excitavit. Cornelia igitur, opibus suis ex urbe adductis, Pompeium iuvit, illumque navi fugientem comitata est; deinde vero, quamvis invita, ansam praebuit, ut mortem Pompeius obiret. Hic enim ad Parthos se conferre cupiebat, ut praesens periculum evitaret, opemque adversus Caesarem peteret; sed ab isto proposito Theophanes eum avertit, indignum censens, Corneliam, mulierem nobilem, ad barbaros deportare. In Aegyptum igitur tendere constituit Pompeius; ad Regem Ptolemaeum progressus est, qui, consiliis principum virorum auditis, caedem ei parabat. Cornelia eius exitum iam deplorabat, cum Pompeius ex navi sua in naviculam Aegyptiacam procedens, salutem ei precaretur. Anxia cum sociis rei eventum speculabatur, donec Pompeium ictibus virorum Aegyptiorum percussum cerneret; mox autem magno terrore confecta, ancoram navis solvi curavit, ac fugae se mandavit (1). Hac ratione Cornelia Pompeii neci opportunitatem dedit. Nisi Cornelia Pompeium comitata fuisset, Pompeius Aegyptum non petiisset, sed ad Parthos, vel ad Iubam, Numidiae Regem se contulisset, atque ab istis opem accepisset, qua

Cae-

(3) Plutarch. *Vita Pompeii pag.* 658 - 661.

Caesarem forte superasset; alia omnino civitatis Romanae conditio exstitisset.

Duabus Pompeii uxoribus, Iulia Corneliaque, consideratis, alias etiam duas foeminas attendamus, quae in Iulium Caesarem magnam vim exercuerunt, matrem eius Aureliam, uxoremque Calpurniam. Plurima sane egregia, quibus I. Caesar eluxit, praeclarae institutioni debebantur, quam illi mater Aurelia procuraverat (1). Hanc Caesar deinceps magno honore prosecutus fuit, eamque consiliorum conscium habuit. Caesare Pontificis Maximi munus ambiente, Aurelia, de filii salute valde sollicita fuit, eique Caesar, die instante, foras egrediens dixit: „ O mater! hodie vel Pontifi-„ cem Maximum, vel fugitivum me videbis (2)". Caesaris uxorem, Pompeiam, a Clodio amatam, diligenter observabat Aurelia (3); istumque veste muliebri ad Pompeiam accedere conantem assiduâ suâ curâ detexit (quod supra iam vidimus (4)). Sic per totam vitam egregia haecce matrona Caesaris commodo serviit, eique consiliis adstitit.

Mag-

(1) *Dialog. de Orat. Cap.* 28.

(2) Plutarch. *vita Caes. pag.* 710. *D.*

(3) *Ibid. pag.* 711. *D.*

(4) *Pag.* 137.

Magnam quoque laudem sibi vindicat Calpurnia, cuius cum Caesare nuptiae Pisonem Caesari adiunxerunt, huiusque vires auxerunt. Consiliis suis Caesarem Calpurnia iuvare solebat, quibus si paruisset, supremo vitae die mortem in senatu non obiisset. Illa enim non tantum somnio terrifico, verum aliis etiam indiciis sibi persuadebat, magnum Caesari instare periculum; ideoque Caesarem hortabatur, ne in senatum se conferret. Monitis hisce neglectis, Caesar ad senatum abiit, ibique ictibus M. Bruti, reliquorumque coniuratorum periit (1). Non possumus Caesaris caedem attendere, ac Brutum illius auctorem contemplari, quin simul foeminam praestantissimam cogitemus, quae Brutum ad istam caedem reddidit alacriorem. Porcia, Catonis filia, Marco Bruto nupta, coniurationis conscia fuit, Brutumque magnopere excitavit, ut propositum audacter exsequeretur. Bruto Caesaris interficiendi consilium secum volvente, perspicacissimam Porciam non latuit, maritum maiora quaedam fovere proposita. Ut igitur fortem Bruto se ostenderet, dignamque se praeberet, cui secreta crederentur consilia, acuto cultro ipsa sibi femur vulneravit, ac magnam inde sanguinis iacturam pas-

(1) Plutarch. *vita Caes. p.* 738.

passa, Brutum exspectavit, eumque hac ratione allocuta fuit: „ Ego, Brute! quae patre „ Catone gaudeo, non pellicum instar, ad lecti tantum et mensae consortium tibi nupta „ fui; sed et ad prosperae adversaeque fortunae „ societatem. Tuâ quidem causâ nihil est, „ quod de nuptiis querar; sed quidnam oblec„ tamentum, aut documentum tibi e me pro„ veniet, si neque reconditum animi crucia„ tum, neque curas fidem requirentes tecum „ feram? Procul dubio novi, muliebrem natu„ ram secretis servandis imbecilliorem videri; „ mihi vero contigit, ut Catonis sim filia, „ Brutique coniux, quibus antea quidem mi„ nus freta, nunc memet ipsa ad dolorem in„ victam cognovi".

His verbis auditis, perspectoque vulnere, quo Porcia de se ipsâ periculum sumserat, Deos invocavit Brutus, ut successus ipsi felices praeberent, dignumque tali se muliere redderent maritum. Porciae dein coniurationis proposita aperuit, eiusque fortitudine incitatus, Caesari necem paravit (1). Unâ consciâ uxore, Brutus pugione accinctus ad senatum progrediebatur, ut propositum exsequeretur. Quid mirum? fortissimam caeteroquin foeminam

(1) Plutarch. *vita Bruti p. 989. 990 A.*

nam hoc tempore ſexus infirmitati ſuccubuisſe, et prae magnâ ſuâ de Bruto ſollicitudine animae deliquium pasſam fuisſe (1). Porcia deinceps conſiliis ſuis Brutum iuvabat; cum illo, aliisque perpendebat, qualem agendi rationem Brutus et Casſius post mortem Caeſaris inſtituerent (2). Quum dein Brutus et Casſius Italiam relinquere conſtituisſent, ut Macedoniam Syriamque peterent, Porcia ad Veliam usque eos comitata fuit, Romam inde reditura. Appropinquante reditus tempore, pictura quaedam, quae Andromachen Hectori valedicentem referebat, Porciae lacrymas ſaepius expresſit. Hinc Acilius quidam, Bruti amicus, Andromaches ad Hectorem verba Porciae convenientia obſervabat:

"Εκτορ, ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης (3).

Cui retulit Brutus: „ attamen Porciae ſe non „ mandaturum, quod Hector Andromachae prae- „ cipiebat:

Ἱστόν τ', ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε (4).

„ Porciam enim corporis quidem indole vi- „ ri-

(1) *Ibid. pag.* 991 *A.*
(2) Ep. *ad Att. XV.* 11.
(3) Iliad *VI. v.* 429, 430.
(4) *Ibid. v.* 491.

rilibus facinoribus imparem, animo viriliter pro patria pugnare" (1).

Tali laude ornatam Brutus Porciam reliquit; Athenas ipse profectus fuit; Romam illa rediit (2). Quamvis Plutarchus ex quadam Bruti epistolâ, cui ipse plenam fidem non habet, demonstrare conetur, Porciam morbo periisse (3), ab huius mulieris indole aliena non videntur, quae Valerius Maximus (4), Dio Cassius (5), Appianus Alexandrinus (6), aliique de Porciae suicidio memoriae prodiderunt. His testibus, post caedem Bruti cognitam, Porcia accurate a familiaribus observabatur, ne violentas sibi manus inferret. Illa vero patris maritique exitum imitari vitaeque finem sibi ipsa imponere cupiens, ferro deficiente, prunas ardentes ore hausit, modoque isto exspiravit.

Quemadmodum Porcia magnam in Brutum habuit efficaciam, ita in Bruti historia, mater eius Servilia non exiguas egit partes. Servilia ista, ante alias amicas a Caesare dilecta fuit; qui

(1) Plutarch. *vita* Bruti. *p.* 994. *D. E.*
(2) *Ibid. p.* 994. *D. E.*
(3) Plutarch. *vita* Bruti. *p.* 1009. *C. D.*
(4) Valer. Max. *IV. Cap. 6. ex* 5.
(5) Dio Cass. *XLVII. pag.* 238.
(6) App. Al. *IV. pag.* 669.

qui inter varias donationes, margaritá quadam, ſexagies HS. empta, praediisque ampliſſimis proſcriptorum, illam donavit (1). Praedium Pontii Aquilae etiam tenebat, qui Bruti ſocius in occidendo Caeſare fuerat; unde merito Cicero inter istius temporis ὑποσόλοικα referret: matrem tyrannoctoni Pontii bona posſidere (2). Post Caeſaris necem apud partes Caeſarianas magnam ſibi ſervabat auctoritatem, adeo ut et ſenatusconſulta posſet immutare; Brutum autem conſilio precibusque regebat (3). Quum Hirtio, Ciceroni, aliisque necesſe videretur, Brutum Casſiumque Italiam nondum relinquere, Servilia apud filium effecit, ut ab Italia non diſcederent (4). Cicero deinde Antium ad Brutum et Casſium ſe contulit, ibique Serviliâ, Porciâ, Tertullâ Casſii uxore, aliisque audientibus, deliberarunt, qualem agendi rationem inſtituerent. Brutus et Casſius in Aſiam atque Siciliam tendere nolebant, in quas regiones ſenatus ad frumenti curationem eos emittere decreverat. Casſius in Achaiam ſe conferre, Brutus Romam redire cupiebat; quamvis Ci-

(1) Suetonius, *vita Caeſ. Cap.* 20.
(2) Cicero, *Epiſt. ad* Att. *XIV.* 21.
(3) *Ibid. XV.* 10.
(4) Cic. *Epiſt. ad* Att. *XV.* 6.

Ciceroni ista proposita multum displicerent. Quum vero Servilia polliceretur se curaturam, ut illa frumenti curatio de senatusconsulto tolleretur, cuius ignominiam non ferebant, Ciceronis consiliis obsequi constituerunt (1). Tantam vim Servilia in filium, atque simul in universam reipublicae conditionem exserebat.

§ 5.

Bellum Mutinense.

Mortuo Caesare, Romam petiit Octavius sive Octavianus, Caesaris ex sororis filia nepos, ut Caesaris haereditatem adiret, eiusque necem vindicaret. Iuvenilia ista Octaviani conamina rexit, atque adiuvit A t i a, prudentissima matrona, Octaviani mater, primum C. Octavio, dein Marcio Philippo nupta. Corneliam Gracchorum, atque Aureliam, I. Caesaris matrem antea laudavimus, quae ipsae filiorum educationi praefuerunt, istâque curâ principes filios produxerunt; eandem vero laudem Atia sibi vindicat (2). Octavianus, qui quadrimus patrem amiserat, maternâ institutione praeclare informatus fuit; deinde quoque, aetate magis pro-

(1) C i c. *Ep. ad Att. XV.* 11.
(2) D i a l o g. *de Orator. Cap.* 28.

provectâ, e maternis consiliis summam utilitatem cepit.

Morte Iulii Caesaris compertâ, Octavianus Romam statim ire cupiebat, Caesarisque caedem vindicare; quod forte incautus peregisset, nisi Atia, vitricusque Philippus literis prudentiam ei commendâssent (1). Eorum vero consiliis permotus, primum accurate de Caesaris morte cognovit, ac Romae conditionem scrutatus est, antequam aliquid conaretur. Quum deinde Romae conditionem sibi opportunam intelligeret, plurimique Caesaris amici illi se adiungerent, Romam progressus fuit; ubi denuo mater atque vitricus consiliis illi adstarent, eiusque temeritate paululum sollicitarentur. Matrem iam allocutus fuit Octavianus, Achillis ad Thetidem verbis:

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι (2).

Atque alia addidit, quibus ostenderet, officium Caesareae necis vindicandae sibi incumbere. Illa, hisce permota, gaudio metum deposuit, filium amplexa, solum Caesare dignum iudicavit; eumque commonuit, ut, Diis faventibus, decreta exsequeretur; simul vero pruden-

(1) App. Al. *de Bell. Civ. III. pag.* 532.
(2) Hom. *Iliad. XVIII. v.* 98, 99.

dentiam ac patientiam magis, quam apertam audaciam ei commendavit (1). Octavianus maternis consiliis obsecuturum se pollicitus, assidue illa observavit, istâque ratione ad tantam auctoritatem evectus fuit. Initio enim ab omni vi abstinuit; ipse M. Antonium adiit, qui Caesaris bona occupaverat, eiusque vindicem se praebere studebat; iniurias ab Antonio acceptas patienter tulit. Deinde sensim sensimque auctoritatem sibi quaesivit, belloque Mutinensi, cuius Antonius adversus D. Brutum fuerat auctor, senatui se addixit, istiusque caussam contra Antonium defendit, ut huncce adversarium opprimeret. Mox isto voto potitus, consulatum a senatu vi armatâ sibi extorsit; cum Antonio Lepidoque foedus iniit ad Caesaris inimicos exstirpandos, atque cum iis Triumviratum constituit, quo atrocissima quaeque in civitate Romana peracta fuerunt. Non omnia vero triumvirorum proposita successus habuerunt prosperos; foeminae maxime eos inhibuerunt. Triumviri omnes Caesaris adversarios proscribebant; sed plurimae fuerunt uxores, sorores, aliaeque mulieres, quae maritorum, fratrum, aliorumque vitam servarunt ad laetiora Romano-

(1) App. Al. *de Bell. Civ. III. pag.* 533, 534.

norum tempora, quibus iidem ad magistratus urbanos pervenerunt, exercitibusque praepositi victorias reportarunt (1). Acilium, omni mundo suo muliebri militibus prolato, horum militum ope servavit uxor fidissima (2). Apuleius, quia uxor comitabatur, fugae suspicionem evitavit. Reginus ab uxore occultus fuit, donec tempus fugae opportunum adesset. Coponii uxor, hactenus pudica, prostratâ apud Antonium pudicitiâ, vitam marito servare constituit (3). Thuria maritum suum Q. Lucretium, qui deinde ad consulatum evectus fuit, inter cameram et tectum cubiculi, unâ consciâ ancillâ, abdidit, eumque hac ratione, ipsa periculum sibi non verita, tutum praestitit (4). Plura huiusmodi foeminarum memorantur exempla, quae curâ suâ et audaciâ proscriptos servarunt, magnamque vim in civitatis Romanae conditionem habuerunt.

Aliâ etiam opportunitate, foeminae Triumvirorum conaminibus fortiter se opposuerunt. Quum proscriptorum praedia vilius venderentur, quam Triumvirorum cupiditas exspectaverat, novam viam ingredi illi constituerunt, ut nummos

(1) App Al. *IV. pag.* 598.
(2) *Ibid. pag.* 611.
(3) *Ibid. IV. pag.* 612.
(4) Val. *Max. VI. Cap.* 7. *ex.* 2.

mos sibi colligerent, bellumque gerere possent. Mulieres mille et quadringentas ditiores designarunt, quas cogere studebant, ut bona sua profiterentur, ac singulae tantum ad belli apparatum tribuerent, quantum Triumviris placuisset. Mulieres illae hancce iniuriam aegerrime ferentes, viri alicuius patrocinium frustra quaesiverunt, Triumvirorum cognatas adierunt, sed a Fulvia Antonii uxore repulsae fuerunt. Ipsae igitur suam causam agere constituerunt; Hortensiam, celeberrimi Oratoris Hortensii filiam, sibi ducem praeposuerunt; in forum usque ad Triumvirorum tribunal se contulerunt, ibique hunc in modum intrepide Triumviros allocuta fuit Hortensia:

„ Quod nos decebat, opis vestrae egentes, „ ad cognatas vestras confugimus; quod vero „ non decebat a Fulvia passae, ab ea coactae „ fuimus ut unâ forum peteremus. Vos nobis „ iam ademistis parentes, filios, maritos, fra- „ tres, crimen illis imponentes, quod laesi sitis „ ab iis: si etiam opes nobis auferatis, ad ea „ nos adigetis, quae nec genus nostrum decent, „ nec mores, nec sexum muliebrem; si quidem „ a nobis, prout a viris iniuriam vos passos „ dicatis, nos etiam ut illos proscribite: quod „ si mulieres neminem vestrum hostem iudica- „ verimus, neque cuiusquam aedes diruerimus,

„ aut

„ aut exercitum corruperimus, aut aliquem
„ coëgerimus, ut magistratum honoremve al-
„ teri concederet; cur poenarum participes ſu-
„ mus, quae ab iniuria alienae fuimus? Cur
„ tributis gravamur, quae nec de magistratibus,
„ nec de dignitatibus, nec de praefecturis con-
„ tendimus, nec de republicâ adminiſtrandâ, de
„ quâ vos tantopere pugnatis. An, quia bel-
„ lum inſtare dicitis? at quando defuerunt bel-
„ la? et quando tributa a mulieribus petita
„ ſunt, quae inter homines ipſarum naturâ, ab
„ omnibus ſunt immunes? Matres nostrae ali-
„ quando ſupra istam naturam tributa tulerunt;
„ quum totum imperium, ipſaque urbs peri-
„ culo verſaretur, Poenis prementibus: tunc
„ etiam ultro contulerunt tributa, idque non ex
„ agris, aut villis, aut pecunia dotali, aut ae-
„ dibus, ſine quibus ingenue non vivendum est,
„ ſed ex ſolo mundo muliebri, neque ad cer-
„ tum cenſum, neque propoſitis indici prae-
„ miis, neque ob vim ac necesſitatem, ſed
„ quantum ipſis placuerit. Quid autem nunc
„ imperio vel patriae timetis? Oriatur cum
„ Gallis Parthisve bellum, matribus ad patriae
„ ſalutem non deteriores erimus: ad bella vero
„ civilia, neque tributa dabimus, neque opem
„ vobis feremus inter vosmet dimicantibus.
„ Neque enim Caeſari Pompeiove tributa tu-

„ li-

„ limus; neque Marius, neque Cinna eo nos
„ coëgit; neque Sylla patriae oppressor. Vos
„ autem rempublicam constituere profitemi-
„ ni."

Dolendum profecto, Hortensiae orationem non nisi Graece nobis apud Appianum exstare, eamque non integram ad nos pervenisse. Qualicumque vero ratione nobis innotuerit, satis inde intelligimus, quantâ fortitudine, quantâque facundiâ, Hortensia illa Triumviris ea exposuerit, quae viri illis palam facere non audebant. Quis miretur, Triumviros molestissime Hortensiae verba tulisse, ac iussisse, ut mulieres a tribunali submoverentur? Adstantis multitudinis clamor Triumvirorum apparitores cohibuit, quo minus illud mandatum exsequerentur. Triumviri coäcti fuerunt, ut in crastinum diem rem differrent, ac dein mille et quadringentarum mulierum loco, quadringentis tantum ditissimis praescripserunt, ut tributum ipsis conferrent (1). Sic foeminae, dum viri triumviris morem gererent, eosque adularentur, illis resistere audebant; illorum conamina avertebant, ac magnam efficaciam in res publicas exercebant.

(1) App. Al. *IV. pag.* 608, 609.
Val. Max. *VIII. C.* 3. *ex.* 3.

§ 6.

§ 6.

Bellum Perusinum.

Varias consideravimus foeminas Romanas, quae per filios, maritos, aliosque multa efficerent, quae civitatis Romanae conditionem, sive immutarent, sive confirmarent: iam vero ad foeminam accedimus, quae per se ipsa plurima peregit.

Accedimus ad Fulviam, M. Antonii uxorem. Haec mulier, ut ait Plutarchus, non lanificium vel domestica negotia curabat, neque virum privatum regere cupiebat: unice studebat *ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατηγεῖν* (1). Primum Clodio, quem Milo trucidavit, dein Curioni, qui cum legionibus a Iuba in Africa deletus fuit, tandem M. Antonio nupsit; variis iam ante opportunitatibus, rebus politicis se immiscuerat, genioque suo indulserat, ac proscriptionis tempore, quam modo memoravimus, atrocissime saevierat. Ciceronis caput, ad ipsam allatum, omni contumeliâ affecit, ut mortuum etiam puniret, qui et Clodio et Antonio inimicissimus fuerat (2). Rufus quidam Ful-

(1) Plut. *vita* Antonii *pag.* 920.

(2) Dio Cass. *XCVIII. pag.* 3.

Fulviae pridem aedes ſuas, ei opportunas, vendere noluerat; tunc vero, quamvis illas ei concesſisſet, proſcriptus fuit. Huius caput ad Antonium ac dein ad Fulviam adductum fuit, quod illa ante istas aedes exponi iusſit, ut cuique innotesceret, quam ob cauſam Rufus inter proſcriptos relatus fuisſet (1). Pari ratione multos morte affecit Fulvia, Antonio numquam cognitos. Maxime vero conſpicua facta fuit bello Peruſino, cuius ipſam auctorem cernimus. Postquam Antonius atque Octavianus ad Philippos Brutum Casſiumque devicerant, ſuam auctoritatem firmaverant, atque imperium inter ſe diviserant, Antonius in Orientem ſe contulit, ibique amoribus Cleopatrae corruptus, inertem et lascivam vivendi rationem inſtituit. Cum illa Alexandriae turpiter tempus trivit. Interea L. Antonius, Triumviri frater, et P. Servilius Vatia Iſauricus Romae conſulari munere fungebantur, ſed re verâ Fulvia Romanam civitatem regebat. Illa enim, cuius filia Clodia Octaviano in matrimonium data fuerat, tamquam Octaviani ſocrus, atque Antonii uxor, Lepido ob ignaviam nihili habito, ſummâ auctoritate pollebat. Neque populus, neque Senatus aliquid ſtatuebat, niſi Fulviâ proban-

(1) App. Al. *IV. pag.* 606.

bante. Quum L. Antonius triumphum agere cuperet de quibusdam Alpum incolis devictis, assequi illud votum non potuit, quamdiu Fulvia ei resisteret; Fulviam vero deprecatus, istaque annuente, triumphum impetravit. Sic specie quidem Antonius de victoriâ, quam prae se ferret, triumphum egit, sed re verâ Fulvia honore afficiebatur et triumphabat; praestat enim triumphandi facultatem alicui concedere, quam istâ facultate ab alio acceptâ, triumphum agere (1).

Dum Fulvia Romae tantam exserebat auctoritatem, Romam rediit Octavianus, quem primum sibi devincire conata fuit; deinde bello opprimere studuit, ut iniuriam, ab Octaviano acceptam, vindicaret, ac simul Marcum Antonium Romam revocaret, eumque a Cleopatrae amoribus averteret. Octavianus agrorum divisionem instituere cupiebat inter suos ac Marci Antonii milites, quemadmodum antea cum isto pactus fuerat. Fulvia contra contendebat: sibi Lucioque agros Marci militibus esse dividendos; istâque ratione controversiam cum Octaviano ordiebatur. Quum vero Octavianus agrorum dominos, quos militibus concedere statuerat, plurimum exacerbasset, Fulvia

(1) Dio Cass. *XLVIII. pag.* 240.

via et Lucius hisce se adiunxerunt; horum causam adversus Octavianum susceperunt, militibus interim ostendentes, agrorum divisione non opus esse, sed hostium bona optime illis concedi posse. Hisce Fulviae Luciique conaminibus Octavianus in angustias adeo adductus fuit, ut pacem cum illis componere studeret. Illi vero laeto successu freti, Octavianum non audiverunt, sed bellum adversus eum instruxerunt (1). Fulvia Praenesten occupavit, senatores et equites sibi adiunxit, cum istis consilia inivit, edicta proposuit, gladio se accinxit, militibus insignia dedit, concionem saepius inter istos habuit, viriliter omnia peregit (2). Sed belli eventus Fulviam fefellit; post varias contentiones et excursiones, (quas hic exponere longum foret) Octavianus Lucium Perusio continuit; post gravem obsidionem, urbem fame conflictam cepit, Lucium devicit, Fulviam coëgit, ut fugâ sibi liberisque consuleret. Ad maritum se illa contulit, eique Athenis obviam venit (3). Marcus Antonius autem Fulviam tanquam belli Perusini auctorem incre-

(1) Dio Cass. *XLVIII. pag.* 241, 242.
(2) *Ibid. pag.* 243.
(3) App. Al. *V. pag.* 701.

crepabat; illamque deinde, Sicyone aegrotantem, non curabat. Ambitiosissima mulier aegerrime istas querelas tulit; prae moerore ipsa sibi mortem accivisse creditur (1). Hac morte causa sublata fuit, quae bello Brundusino, inter Octavianum atque Marcum Antonium, originem dederat, ac brevi post pacem illi inter se composuerunt (2).

Sic Fulviam contemplati sumus, quae tantas turbas in civitate Romana excitaverat, quae belli Perusini ipsa exstiterat auctor, istoque bellum Brundusinum pepererat. Nunc vero ad alias foeminas progredimur, quarum efficacia in res Romanorum politicas bella non excitavit, sed pacem atque concordiam peperit. Considerandae nobis restant Iulia, Marci Antonii mater, et Octavia viri eiusdem uxor, Octaviani soror.

Iulia, praestantissima mulier, Antonio Cretico nupta fuerat, qui nimia liberalitate facile abreptus, acerrime ab uxore observabatur, ne rem familiarem corrumperet. Quum aliquando scyphum argenteum amico egenti clanculum dedisset Antonius, statim Iulia aedes perlustravit, omnes de isto scypho inquisivit, donec

illc

(1) App. Al. *V. pag. 706.*
(2) Plutarch. *vita Ant. pag. 929.*

ille ὁρῶν χαλεπαίνουσαν τὴν γυναῖκα, rem confiteretur, uxorisque consensum precaretur. Post huius Antonii obitum, Iuliam uxorem duxit Cornelius Lentulus, quem Cicero inter Catilinae coniuratos deprehensum morte damnavit (1). Filium M. Antonium summâ curâ educavit Iulia, ac per totam vitam magnam vim in illum exseruit. Tempore proscriptionis L. Antonium, triumviri avunculum, cuius necem Octavianus postulaverat, aedibus suis servavit. Centuriones eam diu reveriti fuerant, tandem vero eius aedes intrare constituerunt, ut Lucceium inde protraherent. Isto proposito cognito, Iulia in forum se contulit, Triumvirorum tribunal adiit, ipsa se indicavit, quae Lucceium receperat, quae poenam eandem meruerat. Antonius illam reprehendit, quae optimam sororem magis quam probam matrem se praestitisset; attamen morem illi gessit, avunculum servavit (2).

Bello Perusino flagrante, Iulia Romam reliquit, ad Sextum Pompeium in Siciliam confugit, qui amicissime illam excepit, eamque emisit, ut filium M. Antonium cum ipso conci-

(1) Plut. *vita Ant. pag.* 916. *A. B.*
(2) App. Al. *IV. pag.* 611.
Dio Cass. *XLVII. pag.* 221.

ciliaret (1). Sed maior Iuliae fuit efficacia in Octaviano cum filio M. Antonio coniungendo.

Post Fulviae obitum optima oriebatur opportunitas, qua Octavianus cum Antonio pacem denuo componeret. Utrique confoederationem cupiebant, ipsi vero ad illam primum accedere verebantur. Cocceius igitur, utriusque amicus ad Iuliam se convertit, cuius intercessione ad concordiam reduci posse videbantur. Neque spem Cocceii fefellit eventus. Iulia precibus consiliisque suis ab Antonio impetravit, ut amicitiam cum Octaviano iungeret (1).

Hanc amicitiam diu custodivit Octavia, Octaviani soror, isto tempore M. Antonio in matrimonium data. Quum post Antonii de Parthis victoriam, inter fratrem atque maritum simultas quaedam exorta esset, (cuius caussam veteres non accurate tradiderunt) Octavia prohibuit, quo minus ista in bellum transiret. Antonius trecentarum navium classe in Italiam tetenderat, ac Tarentum appulerat. Inde Octavia, quae maritum e Graecia comitata fuerat, ad Octavianum se contulit, in itinere ei occurrit, ab illo impetravit, ut pacem cum Antonio servaret. Fratrem orabat, ne sineret ipsam ex muliere omni-

(1) App. Al. *V. pag. 702.*

nium fortunatissimâ, miserrimam fieri. „ Nunc „ enim", ait, „ omnes homines me adspiciunt „ duorum Imperatorum, huius uxorem, illius „ sororem. Quodsi deteriora consilia praevalu„ erint, et bellum exstiterit, utri vestrum victo„ ria an clades obtingat, incertum est, mea „ vero sors utrimque misera erit".

Octaviae precibus non restitit Octavianus, pacatus Tarentum ad Antonium accessit, sororis causâ prior ab Antonio convivio exceptus fuit. Deinde pactum inierunt, ut Antonio duae legiones ad Parthicum bellum ab Octaviano concederentur; hic autem naves rostratas centum ab illo acciperet. Octavia insuper ab Antonio viginti myoparones Octaviano obtinuit, a fratre mille milites marito pacta fuit (1). Eximiâ hac uxore indignum prorsus se praestitit Antonius. Post istam cum Octaviano conventionem, Antonius Octaviam liberosque suos illi commendavit; ipse in Asiam se contulit, ac denuo Cleopatrae amoribus detentus Octaviam neglexit. Quum ad maritum navigare constituisset Octavia, atque Athenas venisset, literis ei mandavit Antonius, ut illic praestolaretur. Attulerat autem Antonio vestes permultas militares, plurima iumen-

(1) Plut. *vita Ant. p.* 931. 932. *A.* App. Al. *V. pag.* 726.

menta, pecuniam, dona ducibus amicisque tribuenda, milites praeterea bis mille dilectos; idque Nigri cuiusdam ope Antonio significavit.

His compertis, maximopere verebatur Cleopatra, ne Antonius Octaviae sese traderet, ipsamque desereret. Omni ope nisa fuit, ut ab uxore illum averteret; idque tanto successu perfecit, ut Octavia contemptus impatiens Athenas reliquerit, ac Romam redierit.

Domum reversa, Octavianum facillime permovere potuisset, ut iniuriam sorori illatam vindicaret, et arma adversus Antonium susciperet. Octavia vero vindictam non spiravit; fratrem oravit, ut rebus suis non moveretur, nisi aliâ de causâ Antonium bello petere constituisset. Antonii aedes, prout antea, inhabitavit, eiusque liberos ex Fulviâ natos praeclare educavit. Amicis Antonii, honores aut munera sibi cupientibus, ab Octaviano impetravit quae postulassent. Istâ ratione effecit, ut ipsam honore atque amore omnes prosequerentur; at maxime Antonium contemnerent, qui talem foeminam Cleopatrae postponeret (1). Ille vero magis magisque Cleopatrae subiectus fuit, ac tandem egregiam Octaviam repudiavit, quae id imprimis dolebat,

bel-

(1) Plut. *vita Ant. p.* 940. 941. *A.*

belli intestini causam ipsam fieri invitam (1). Dirupto enim vinculo, quod Octavia inter maritum et fratrem servaverat, Octavianus Antonium atque Cleopatram bello petiit, tandem ad Actium eos devicit, bellis civilibus finem imposuit, Imperatoriam dignitatem adeptus est, solus Romanam civitatem gubernavit.

Itaque iam ad finem perduximus, quae de foeminis Romanis, bellorum civilium temporibus, disquirere cupieramus. Bella civilia maxime insignia notavimus, ac tempora proxime cum istis coniuncta percurrimus, ut foeminas depingeremus, quae his temporibus in res Romanorum politicas vim et efficaciam habuerunt. Post talem disquisitionem cuique facile patebit foeminas apud Romanos, in rebus eorum politicis, isto spatio maximas egisse partes.

Foemina primam bellis civilibus ansam dedit. Foemina Marium servavit, qui tantas deinde turbas in civitate Romana excitavit. Foemina Syllae consilia rexit. Foeminae Catilinariam coniurationem pepererunt, dein detexerunt, tandem everterunt. Foemina Pompeium cum Caesare coniunxit. Foemina necando Pompeio ansam dedit. Foemina Bruti conamina mutavit. Foemina Octavianum instruxit.

Sed

(1) Plut. *vita Ant. pag.* 942. C. D.

Sed quid omnia ista repetam, quae ex superioribus innotuerunt? Nulla fere magna facinora, nullae fere rerum conversiones isto spatio nobis occurrunt, quorum foeminae magis minusve participes non fuerunt. Si foeminae apud Romanos rebus politicis se non immiscuissent; si curis domesticis unice intentae reliqua omnia viris penitus reliquisſent, alia prorsus civitatis Romanae facies fuisſet; aliam prorsus Romanorum cognovisſemus historiam.

Huc usque ad istas foeminas Romanas unice attendimus, quae bellorum civilium temporibus viguerunt; iam vero ad alias ducimur, quarum permultae, summam quoque in res Romanorum politicas efficaciam exſeruerunt. Restat enim, ut nostrae disquiſitioni foeminarum Romanarum characterismum adiiciamus.

PARS

P A R S   A L T E R A.

FOEMINARUM ROMANARUM CHARACTERISMUS.

Universam Romanorum historiam contemplantibus, difficile videatur foeminarum Romanarum characterismum accurate conficere. Variis enim Romanorum aetatibus varias admodum apud eos se praestiterunt foeminae. Quantopere, exempli causa, distant inter se Lucretia et Messalina! Cloelia et Poppaea Sabina! Veturia Coriolani et Agrippina Neronis mater! Quantum interest inter prima Romanorum tempora, quibus portentum crederetur, si foemina causam suam in foro ipsa egisset (1), et Hortensiae aetatem! Quantopere inter se differunt priora Romanorum saecula, quibus, ad Tarquinium usque Superbum, nullae mulierum rixae innotuerunt, nisi Thaleae cuiusdam, Pinario nuptae cum Gegania socru litigantis (2), et belli Catilinarii spatium! Quanto-

(1) Plut. *vita Numae p. 76.*
(2) *Ibid.*

topere discrepant antiquae Romanorum mulieres, quibus vini usus interdicebatur (1), quibus, ad annum U. C. 230, divortia ignota fuerunt (2), a foeminis istis, in quas Iuvenalis adeo invectus fuit! (3) Veruntamen, licet earum mores variis temporibus admodum varii fuerint, nonnulla in iis omnibus insignia apparent, quae Romanarum foeminarum indolem constituunt. Neque etiam ad istam indolem cognoscendam, necesse erit, ut quaslibet foeminas attendamus, quae inde a Romuli usque ad Iustiniani tempora exstiterunt, nobisque innotuerunt. Prout in genere indoles Romana ex iis saeculis maxime cognoscitur, quibus ad vigorem suum pervenerunt Romani; ita et foeminarum Romanarum ingenium ex isto spatio optime intelligitur.

Nos igitur ad earum characterismum conficiendum plurima adducemus exempla foeminarum ex istis temporibus, quibus maxime viguerunt Romani, paucissima vero ex Regum saeculis, vel ex Imperatorum aetate. Foeminae Romanae nondum pervenerant ad veram foeminae ma-

(1) Val. *M. I. Cap. I.* § 5.

(2) Plut. *vita Numae p. 76.*

Val. *M. II. Cap. I. ex. 4. qui annum U. C. 520. tradit.*

(3) Iuvenal. *Sat. VI.*

maturitatem. Prouti genus humanum sensim sensimque ad perfectionem tendit, suoque progressu cuiuslibet hominis progressum ad maturitatem refert; sic etiam foeminae apud varias gentes, varias cuiuslibet foeminae aetates exhibent. Gens Romana ad maturitatem istam maiores fecerat progressus, quam varii Orientis atque Graeciae populi. Sed multa adhuc in illa desiderabantur, quibus Germanicae gentes adeo praestiterunt. In foeminis Romanis in genere ea nondum cernebatur humanitas; nondum aderat sensus ille nobilior, quibus foeminae vere Germanicae excellunt. Vigebat in foeminis Romanis summa *fortitudo*; sed in audaciam subinde illa et ferociam vertebatur. Flagrabant in eorum animis *honoris gloriaeque studia*; sed coniuncta haec fere erant cum pari ambitione et dominandi cupiditate. Singula exemplis quibusdam illustremus.

I. Primum fortitudinis documentum praebent mulieres istae Sabinae, omnium Romanarum matres. Bellicum strepitum non timentes in medias acies proruunt; ab alterâ parte maritos, ab alterâ patres precantur, ut bello finem imponant, eaque fortitudine ad pacem utrosque coniungunt (1). Cloelia, Valeria Poplicolae filia,

(1) Plut. *vit. Rom. p.* 29. Liv. *I. Cap.* 13.

filia, fociaeque caeterae, Porfennae obfides datae, intrepidae custodes trans mare effugiunt (1). Veturia, Coriolani mater, Volumnia, eius uxor, Valeria Poplicolae foror, plurimaeque nobilisfimae matronae urbem ipfae egrediuntur, ad hostem Coriolanum fe conferunt, eumque precibus et confiliis permovent, ut pacem cum Romanis componat (2). Maxime etiam foeminarum Romanarum fortitudo atque conftantia fefe exferuerunt, quum legis Oppiae abrogationem peterent. Matronae nullâ nec auctoritate, nec verecundiâ, nec imperio virorum, contineri limine poterant; omnes vias urbis, aditusque in foro obfidebant; viros ad forum defcendentes rogabant, ut Oppiam legem abrogarent, qua mulierum luxus nimis coërcebatur. Undique mulieres confluebant, ut istud votum asfequerentur, Confules, Praetores, aliosque Magistratus adibant, et rogare audebant. Quum M. Porcius Cato, Confulum alter, vehementer mulierum infolentiam increpasfet; ac L. Valerius, Tribunus plebis pro derogandâ lege Oppia disferuisfet, postero die plures etiam foeminae in publicum prodierunt; istorum tribunorum ianuas obfederunt, qui ipfis morem

(1) Plut. *vit. Poplic.* p. 107.
(2) Plut. *vit. Coriolani* p. 229. 230.

rem gerere nolebant; nec ante abstiterunt, quam abrogata esset lex perodiosa (1).

Vidimus intrepidam istam Semproniam, quae, nec populi strepitu, nec magistratuum minis constantiam remittebat; Terentiam, Tulliamque, quas Cicero fortiores noverat, quam quemquam virum (2); Porciam, quae ipsa sibi femur vulnerabat, ut fortitudinis suae periculum faceret; quae mortem atrocissimam sponte adibat. Observavimus Apuleii uxorem, ac Thuriam, Lucretio nuptam; quae sua virtute maritos servarunt. Eâdem constantia Sulpicia matris custodiam effugit; ad Lentulum, maritum se contulit, fugaeque comitem illi se praestitit (3). Animadvertimus ad Hortensiam, caeterasque matronas Romanas, quae ipsae Triumvirorum tribunal adierunt, causamque suam optime defenderunt. Pari constantiâ Amaesia Sentia, et Afrania, Licinii Buccionis senatoris uxor, ipsae causas suas coram Praetore peregerunt.

II.

(1) Liv. *XXXIV. Cap.* 1 — 8.

(2) Cic. *Ep. ad* Terent. 7.

(3) App. Al. *IV. pag.* 612.
Val. M. *VI. Cap.*7. *ex* 8.

II. Eadem vero foeminarum Romanarum fortitudo in ferociam, atrocitatem et crudelitatem saepenumero vertebatur. Abhorremus Tulliam, Servii Tullii filiam, quae sororem, mariti fratrem, tandem patrem necandos curavit, ut ipsa sibi Tarquinioque Superbo regiam acquireret auctoritatem; quae per patris corpus carpentum agere iussit, ut genio atroci indulgeret (1).

Stupemus ad Livii testimonium, (quod ipse falsum volebat) eiusdem anni spatio centum et quinquaginta matronas veneficas Romae deprehensas fuisse (2). Terremur detectis istis Bacchanalibus, quibus discrimen omne pudoris extinguebatur; quibus falsi testes, falsa signa ac testimonia, venena, intestinaeque caedes parabantur; quibus illi necabantur, qui scelerum participes esse nollent; quibus Duronia Aebutium filium corrumpere studebat; magis autem eo terremur, quod foeminae hisce festis maximas egerint partes (3).

Horrorem nobis iniicit Pomponia, Quinto Ciceronis fratri nupta, dirissimo supplicio Philologum afficiens, qui occultum Ciceronem perseque-

(1) Liv. *I. Cap.* 46 - 48.
(2) Liv. *VIII. Cap.* 18.
(3) Liv, *XXXIX. Cap.* 8 - 14.

cusſoribus indicaverat (1); nec minus Fulvia, atrocisſima illa, mortuo Ciceroni linguam evellens, quod ſupra attigimus.

Odio incendimur in Salasſii, Septimiique uxores, quae adverſariis ipſae maritos produnt (2); alias quam plures ob eandem atrocitatem damnamus, quas omnes hic memorare necesſe non erit.

III. Ad alia enim progredimur, quae foeminarum Romanarum indolem magis exornant. Foeminae Romanae ſumma gloriae cupiditate, maximo honoris ſtudio conſpicuae fuerunt. Quid magis eo adegit Lucretiam, ut violentas ſibi manus inferret, quam ſumma honoris cupido? Amisſâ pudicitiâ, mulieri nihil ſalvi esſe ſtatuebat; ideoque vitae finem ſibi ipſa impoſuit (3). Summus ad gloriam ardor elucet in ſororibus utrisque Fabiis; quarum natu minor aegerrime tulit ſororem maximo haberi honore, propter maritum patricium, eumque militum Tribunum; ipſam vero, quippe viro plebeio nuptam, huius honoris expertem esſe. Patri dolorem ſignificavit; istoque modo perfecit, ut propediem Plebeii istos ma-

(1) Plut. *vit.* Cic. *p.* 886.
(2) App. Al. *Lib. IV.* *pag.* 602, 603.
(3) Liv. *I.* *Cap.* 58.

magistratus capesserent, quos antea Patricii sibi vindicaverant (1). Eandem laudis aviditatem optime demonstrat certamen in sacello Pudicitiae patriciae, cuius Virginia auctor fuit. Virginiam ab isto sacello arcuerant matronae patriciae, quod e Patribus enupsisset. Illa vero Pudicitiae plebeiae aram sacravit, mulieresque plebeias hortata est, ut sanctiores etiam et castiores istam colerent; atque hoc modo praestantissimam aemulationem inter ordinis utriusque foeminas instituit (2).

Varias foeminas eodem stimulo ductas antea contemplati fuimus; Corneliam, Gracchorum matrem, quae per filios maximas sibi laudes quaerebat; Antistiam, Claudii uxorem, quae Tiberii Gracchi affinitatem vehementer cupiebat; Valeriam, quae Syllae matrimonium summo studio petebat; Catonis filias atque sorores, quae Pompeii Magni consortium ὑπερηγάπησαν (3).

IV. Istud vero honoris studium coniunctum fere sibi habebat magnam dominandi cupidinem, summum ad auctoritatem ardorem. M. ille Porcius Cato, optime foeminas sui temporis noverat,

(1) Liv. *VI. Cap.* 34.
(2) Liv. *X. Cap.* 23.
(3) Plut. *vit.* Catonis. *Min. p.* 773.

rat, tamquam honoris avidisſimas, ac dominandi cupidisſimas; optime principia tenebat, quibus nitebatur magna illa ſeditio de lege Oppiâ abrogandâ. Mulieres veram illius cauſam ita exponentes inducit: „ Ut auro et purpurâ fulgeamus; ut carpentis, festis profestisque diebus, velut triumphantes de lege victâ et abrogatâ, et captis, et ereptis ſuffragiis vestris, per urbem vectemur: ne ullus modus ſumptibus nec luxuriae ſit " (1). Viros Romanos hunc in modum increpat: „ Si in ſuâ quisque nostrum matrefamilias, Quirites! ius et maiestatem viri retinere inſtituisſet, minus cum univerſis foeminis negotii haberemus. Nunc domi victa libertas nostra, impotentiâ muliebri, hic quoque in foro obteritur et calcatur: et quia ſingulas ſustinere non potuimus, univerſas horremus " (2).

Plutarchus eiusdem Catonis nobis ſervavit effatum, initio nostrae disquiſitionis notatum, quo *γυναικοκρατίαν* maxime increpavit (3). „ Omnes homines, ait, mulieribus imperant; gens nostra omnibus hominibus; nobis vero mulieres." Ex variis hisce ſententiis patet, Ca-

(1) Liv. *XXXIV. Cap.* 3.
(2) *Ibid. Cap.* 2.
(3) Plutarch. *vita* P. Catonis *p.* 340. *B.*

Catonem, acutissimum illum iudicem, et gloriae, et auctoritatis cupidinem in foeminis Romanis observasse. Post aliquot saecula, pari modo Severus Caecina, quum censuisset, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, foeminas Romanas vocavit: „ non imbecillum tantum et imparem labori„ bus sexum, sed, si licentia adsit, saevum, „ ambitiosum, potestatis avidum " addidit etiam: „ Vinclis exsolutis, foeminae domos, fora „ iam et exercitus regerent " (1). Sed virorum placitis non tantum insistamus, ipsas foeminas Romanas denuo attendamus, ut dominandi cupidissimas illas cernamus. Si plures Romanorum epistolae ad familiares nobis superessent; si domestica Romanorum vita accuratius nobis exposita fuisset, plures procul dubio foeminae nobis innotuissent, isti Pomponiae similes, qnae ex Ciceronis ad Atticum litteris, domesticae auctoritatis avidissima cognoscitur. Pomponia, Attici soror, Quinto Ciceronis fratri nupta, maritum maximâ acerbitate vexabat; nisi ipsa omnium rerum domesticarum conscia fieret, hospitam se aiebat; ipsa omnia curare cupiebat, caeteroquin, neqne ad mensam accedere, neque cum Quinto dormire vo-

(1) Tacit. *Ann. III. Cap.* 33.

volebat (1). Terentiae, Iuliaeque Antonii matris, domesticam auctoritatem notavimus, ac multa alia istius dominandi cupidinis indicia vidimus. Matres in genere apud Romanos in filios magnam vim exserebant. Pauca offendimus patrum Romanorum exempla, qui a filiis, auctoritate pollentibus, aliquid impetraverunt; plures autem innotescunt matres, quae filios, summis muneribus conspicuos, suis praeceptis regebant. Cognovimus Veturiam, Coriolani matrem, Corneliam Gracchorum, Aureliam Caesaris, Serviliam Bruti, Atiam Augusti, Iuliam Antonii, aliasque, quae per totam fere vitam filios rexerunt, atque per illos dominandi studium exseruerunt. Inde etiam Romani Muciam, Sexti Pompeii matrem, adibant; ab eâ postulantes, ut filium cum Octaviano et Antonio conciliaret (2). Summâ dominandi cupidine cernitur quoque Livia, Octaviani uxor, quae, isto regnante, plurimum polluerat, eiusque consilia rexerat (3). Postquam vero ad imperium pervenisset Tiberius, Liviae filius, Livia omnia agebat, quasi ipsa imperio praeësset; maiorem sibi, quam filio, potestatem

(1) *Ep. ad Att. V.* 1.
(2) App. Al. *V. pag.* 712.
(3) Dio Cass. *LV. pag.* 79, 80.

tem vindicabat, quia filium ad imperium evexerat (1). Pari indole cernuntur utraeque istae Agrippinae, Germanici et Claudii uxores, aliaeque istius aetatis mulieres notisſimae.

Caeterum a poëtis maxime exagitari ſolet haec Romanarum mulierum dominandi cupiditas. Cernimus Cynthiam illam, quam Propertius celebravit, quum amicum inter alias puellas convivantem deprehendisſet, ſummâ audaciâ istas expellentem, ipſumque verberantem:

„ *Cynthia gaudet in exuviis; victrixque recurrit,*
„ *Et mea perverſa ſauciat ora manu:*
„ *Imponitque notam collo, morſuque cruentat:*
„ *Praecipue oculos, qui meruere, ferit.*
„ *Indixit leges. Respondi, Ego legibus utar.*
„ *Riſerat imperio facta ſuperba dato* " (2).

Ovidius maxime amatoribus commendat, ut amatis puellis opportunitates praebeant, quibus ambitionem et dominandi cupidinem exſerant.

„ *Libertas alicui fuerit promisſa tuorum;*
„ *Hanc tamen a dominâ fac petat ille tuâ.*
„ *Si poenam ſervo, ſi vincula ſaeva remittis;*
„ *Quod facturus eras, debeat illa tibi.*

„ *Uti-*

(1) Dio Casſ. *LVII. pag.* 417.
(2) Propert. *IV. El.* 8. *v.* 63-66, 81. 82.

„ *Utilitas tua sit: titulus donetur amicae.*
„ *Perde nihil: partes illa potentis agat* (1).

Puellae apud varios hosce poëtas semper occurrunt, tamquam dominae, quibus amatores submittuntur. Audiamus Tibullum (2):

„ *Hic mihi servitium video, dominamque paratam,*
„ *Iam mihi libertas illa paterna, vale.*"

Eâdem ratione plurimis locis foeminae proponuntur, quibus hancce disquisitionem nimium producere non licet. Sufficiat nobis historicis maxime documentis declarasse, quibus potissimum virtutibus, quibus item vitiis insignes fuerint foeminae Romanae.

Plurima profecto huic disquisitioni defutura veremur, quae Iudices clarissimi atque perspicacissimi in illâ desideraverant. Attamen iis illam exhibere constituimus, fore sperantes, ut, quamvis vires defuerint, nihilominus sit laudanda voluntas.

(1) Ovid. *Art. Am. II. v.* 289 — 294.
(2) Tibull. *II. El.* 4. *v.* 1. 2.

NI-

NICOLAI THOLEN,

IN ATHENAEO FRANEQUERANO
MEDICINAE STUDIOSI

RESPONSIO,

AD

QUAESTIONEM HISTORICAM,

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

PROPOSITAM,

„ *Quam vim habuerunt apud Romanos foemi-*
„ *nae in res eorum politicas, bellorum civi-*
„ *lium temporibus? Adiiciatur huic disquisi-*
„ *tioni foeminarum Romanarum Characteris-*
„ *mus*".

„ Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν,
„ Κάλλιστον, εἴσω δ' ἥσυχον μένειν δόμων".

Eurip. Heracl. vs. 477.

Quum in animum meum inducerem, pro viribus meis respondendo quaestioni historicae, in Academia illustrissima Rheno-Traiectina propositae, periculum facere, τὸ in magnis voluisse sat est, iuveni praesertim, me instigasse lubenter profiteor. Neque enim, ubi opus aggressus eram, me illud ad finem perducere posse, arroganter cogitabam. Subblandiebatur autem mihi cogitatio, me quoque certamen literarium nobilissimum inire. Absolvi etiam disquisitionem, et labor haud iniucundus fuit; sed longe abest, ut existimem, me ita opus absolvisse, ut de palma haud omnino desperandum certamen aggredi possit; at, ubi defuere vires, fuit tamen laudanda voluntas.

De operis mei ratione nihil praemonendum habeo. In disquisitione ipsa de foeminarum vi apud Romanos, ordine chronologico, quantum apte hoc fieri posse mihi videbatur, processi, postquam de temporis opportunitate ad vim mulie-

liebrem, bellorum civilium temporibus, augendam, nonnulla praemonueram. Characterismum praemittere haud inutile credidi; nam cum de moribus et indole foeminarum Romanarum notitiam haberem, rectius de vi *istarum* foeminarum in res politicas me iudicare posse putabam. Existimavi autem, non tantum disserendum esse de indole mulierum, uti fuerit civilium discordiarum tempore, sed generatim de antiqua, etiam ante morum corruptionem, agendum esse. Primum speciatim nonnulla de matre Gracchorum Cornelia conscripseram; ast ubi mecum reputarem, illam *ante* bella civilia floruisse, atque ita proprie ad disquisitionem propositam non pertinere, ut de nobili illa matrona agerem, haec iterum, brevitatis studio, abstuli atque describenda librario non tradidi.

Utut erit laboris mei eventus, hocce certe lucrum inde iam tuli, quod amoena exercitatione multa didicerim, multaque, quamvis minus recte, in historia Romana perspexerim, quae forsan non ita intellexissem, nisi Academiae nostrae Celeberrimi Viri quaestionem hancce de foeminarum vi in res politicas, literarum studiosis proposuissent.

PARS

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

FOEMINARUM ROMANARUM CHARACTERISMUS.

Romani, antiquisſimis temporibus, multarum rerum indigentes, iis virtutibus clari fuerunt, quas omnis recens exorta civitas cives exercere iubet. Mores, luxu nullo corrupti, quamvis rudes (1), gravitate tamen quadam inſignes fuere: character enim popularis in ſumma ſimplicitate (2), ad eas facultates virtutesque componebatur, quibus e parva magnam Romani reddiderunt rempublicam. Erant animo

(1) Cf. Ferguſon, Hiſt. of the Rom. Rep. I. ch. 1. pag. 4.

(2) Cf. Valer. Maxim. IV. 4. 6. Livius XXI. 18. De morum Romanorum ſimplicitate laute disſeruit Meierotto, uber Sitten und Lebensart der Römer, Tom I, pag. 157. et ſeqq.

mo et corpore ad labores prompti et flagranti erga patriam amore, quo solum, quod habitabant, tum amplificarent, tum validissime defenderent. Hisce certe virtutibus primi Romae conditores civesque praestiterunt; et pro certo affirmandum videtur, raptum Sabinarum et deinde cum Sabinis secutam societatem, qui mores quodammodo emendatos iam habebant, Romana quoque vitia emendasse. Mores autem hominum rudis et inculti ingenii, in summa etiam antiquitate, eo vitio iam laborasse constat, quo debilior generis humani pars vilioris habetur pretii: sic et Romani veteres, foeminas parvi faciebant; eorum saltem leges grave et iniquum onus sexui sequiori imposuisse, nemo non mecum affirmet (1). Parum equidem abfuit, quin uxores maritorum ancillae evaderent, quum et praeterea mandatum eas presserit, quo binas, foemineo sexui qualitates propriasi,

(1) Foemina, ut res mobilis in manum viri conveniebat: qui matrimoniorum contrahendorum modus satis probare videtur, Romanos ne quidem magni foeminas duxisse. Cf. Ernestus Spangenberg, Hist. Civil. Roman. foemin. specim. Sect. 1. § 8 et 9. pag. 27. seq. Vid. porro Aulus Gellius, X. 23. Valer. Max., II. 1. Cf. Dionys. Hallic, Lib. III. 21. Plutarch., in comp. Lycurg. et Num. et Cicero pro Mur. 12.

prias, domare coactae erant, curiositatem et loquentiam, ita ut, teste Plutarcho (1), de necessariis quidem rebus verba tantum, absente marito, facerent. In bellis semper fere versabatur exoriens civitas, qua de causa pars maior civium cum exercitu in castris erat; eo igitur rerum statu vel necesse fuit, foeminas maiorem rerum domesticārum administrandarum partem tulisse, quam illis tributa fuisset, ratione foeminarum dignitatis habita. Ne autem absentibus maritis intemperantia et victu inmodico praecipites abirent, legibus prohibitum fuit (2). Mulieribus severe sic habitis, primo rerum adspectu affirmetur, illas iugi intolerantes, neque maritos neque patriam amavisse: nam cum maritum pro domino, patriam pro ergastulo haberent, iure quaeratur, quid tandem maritos, quid urbis incolatum amarent? Romanarum autem rerum scriptores plurima nobis tradiderunt exempla, quibus extra omnem dubitationem ponitur, amorem atque fidem socialem non minus ac patriae amorem apud Romanas mulieres valuisse. Ne autem longa rerum notissimarum enarratione quemquam defatigare videar, sufficiat in memoriam revocasse, quae

a

(1) In V. L. pag. 77. Edit. Xyland.

(2) Cf. Athen. X. 7.

a matronis Romanis, duce Herſilia, belli Sabini tempore gesta ſunt (1), et ad illam matrimoniorum ſanctitatem respexisſe, qua quingentos amplius annos inaudita Romae fuerint divortia (2), quae tamen ob levisſimas etiam cauſas erant licita, et licita remanebant, quum leges duodecim Tabularum aequiora paulo iura foeminis tribuisſent. Verum enim vero, ſi facta et eorum in mores vim accuratius conſideremus, difficile intellectu non est, unde iste foeminarum Romanarum erga coniuges et patriam amor, quae quidem virtutes inprimis in Romanarum indole enituerunt, ortum duxerint.

Simulac homines libertatem amiſerunt, et vitam ſervilem trahere coacti ſunt, unusquisque aut vi afflictam fortunam extollere conabitur, omnesque nervos intendet, ut oppresſam libertatem restituat, aut Stoicorum more in animum ſibi inducet, ſe nihil niſi rem parvi vel nullius pretii amiſisſe; corporis ſervitutem ſpernens, dummodo libera ſit mentis cogitatio. Licet hi iugum minus urgens ferant, nihil impedit, quominus animus, ſervili conditione presſus, a libera-

(1) Vd. Plutarch. in Rom. pag. 29. ſeq.

(2) Vd. Id. l. l. ſub fin. comp. p. 390. Conferri meretur Zach. Huber, Disſ. Lib. 2. Disſ. 3. pag. 288. cf. etiam Plutarch. Quaest. Rom. Tom. II. pag. 267.

ra sententia et cogitatione abalienetur. Minus autem molestam ii servitutem existimabunt, quorum assuevit conditioni natura, quique eam ab incunabulis passi sunt; tum nullus quasi liberioris vitae status inscius servum se esse dolebit. Facit autem efformandis moribus multum haecce servitus, et hoc quoque ad foeminas Romanas omnino pertinere, nemo facile insitias iverit. Hae enim, quandoquidem erant natae atque enutritae sub legibus, quae mulierum libertatem circumscribebant, diu ante nuptias maritale imperium noverant et iugum suum, quasi deceret ita, aequo animo ferebant. Nam quum ,, per iuvenilem aetatem, matrum edoc-
,, tae exemplis, anili prudentia, matronali gra-
,, vitate, et tamen suavitate puellari, cum vir-
,, ginali verecundia " (1), insignes iam essent, et vitae domesticae assuevissent, neque alius vitae exemplum ante oculos habuissent, sensim, ipsis invitis, nullam poenituerit servitutis, verum gaudia omnes perceperint e conditione vitae. Omnes porro e rerum statu intelligere, sibique in animum inducere, necesse erat, magnarum rerum et ingenii facultatum gloriam, sibi non esse propositam: virtutis solum exercitii laudem et maritorum amorem scopum esse, quem pe-

te-

(1) Sunt verba Plinii, Epist. V. 16.

ferent. Quum quidem omnem suam sortem, immo vitam (1), in maritorum esse potestate, scirent (2), duplicis profecto illis pretii, integra coniugum caritas fuit; ad hanc adipiscendam rerum domesticarum anxia cura, torus inviolatus et bona liberorum educatio unicum erat iter. Hinc quod mirum erat, nî quaeque Romana domi, ancillis suis circumdata repereretur, nunc tela trahens (3), tum educatione liberorum occupata (4). Quum itaque ad id semper attenderent, quo arctius maritis coniungerentur, et cum inprimis inviolata tori fide coniugum amorem sibi vindicarent, deinde pudicitiae virtus, in animos penitus inducta, quasi foeminarum Romanarum characteris nobile indicium, facta est. Omnia quae quidem impudicitiae odorem spirarent, mulieri Romanae vituperio erant, atque ita ab umbra etiam mali refugientes, amoris vinculum uxorem et ma-

(1) Cf. Dion. Hall. Lib. II. 25. Aul. Gell. II. 23.

(2) Cf. Spangenberg, in Diss. laudata § 13. pag. 37.

(3) Exemplo sint Lucretia et iam antea Tanaquil: de quibus praeter alios cf. Plinius, Hist. Nat. VIII. 48.

(4) Conferri meretur scriptor dialogi de Oratore § 28. sub fin. cf. et Columella Rer. Rust. XII. sub fin. Praefat. d'Arnaud de la vie privée des Romains ch. 6. pag. 396.

maritum inter arctius in dies constringebatur. Maritos enim eo pluris pudicitiam facere necesse erat, quo peccandi occasio mulieribus saepius data fuerit; praebebant autem continua bella impune peccandi crebram opportunitatem; haec enim ab uxoribus maritos diu separatos tenebant. Neque in bellis urbiumque obsessionibus maritos uxorum oblitos fuisse; sed e contrario illarum virtute fretos, suam quemque laudavisse, Ardea testatur obsessa (1).

Licet itaque exercuerint mulieres primo verecundiam, et quae huic iunctae esse solent virtutes, sui commodi causa, subinde tamen haec virtus, praestantiâ suâ laudata, nobilius etiam calcar habuit, et veterum uxores Romanorum, coniugum amore felices, socialium virtutum seriem, tanquam pudicitiae et vitae domesticae, sequelas fovebant. Reipublicae porro ipsa fortuna coniugalem quoque auxit amorem: magnum enim absentium amoris desiderium est; neque aliter evenire potuit, quin viri e bellis reversi maxima etiam perceperint gaudia in uxorum amplexu, oblitique fuerint istas leges severas in quibus maritalis potestas et vis sitae erant. Reduces Romam victores hos-

(1) Vid. Livius, I. 57. seq. et Ovidius, Fastor II. 725. seqq.

hostium ſpolia ante uxorum pedes depoſuerint, et de vulneribus ſuis, patriam defendendo vel imperio reipublicae amplificando acceptis, gloriari amaverint: mulieres ab altera parte, mutua amoris pignora pro ſe tulerint, matrisque pietatem in animos maritorum quaſi effuderint; et quis negare audeat, parentum erga liberos amorem multum et matrimoniorum ſanctitati et coniugali amori contulisſe? An fuerit a milite ſtrenuo alienum, magna cum voluptate, parvulos ſuos, ſibi blandientes, conſpicere? Cur Hectorem potius quam Romanum fortem bellatorem deceret, manus puero porrigere? quum heros ille, oratione digna tanto viro habita,

„ —— οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος Ἕκτωρ." (1).

Decorum certe fuit, virum militarem, molli pietatis commotum ſuavitate, in uxoris et liberorum amplexu adſpicere; et nihil dubitandum, ferocis Romani animum et mores domesticis voluptatibus ſtudiisque emollitos fuisſe; nihil dubitandum, Romanos veteres incultos pacem potius quam bella amavisſe.

„ —— οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
„ Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον,
„ Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· —— " (2).

Sic

(1) Homer. Iliad. Ζ 466.
(2) Homer. Odysſ. Ζ 182 ſqq.

Sic verecundia, coniugali amore (1) et studio domestico foeminae Romanae, antiquissimis temporibus, inclaruerunt; et multa in civitate Romana concurrêre, quibus foeminarum virtus et morum austeritas servaretur. Nominanda magistratuum censura, leges de luxu ac dotibus, leges sumptuariae, quae cultum et ornamenta vestitus definiebant, honores virtutis praemia foeminis tributi, templum Deae Pudori consecratum, sacellum denique Deae Viriplacae, ubi dissidia uxoris atque mariti componebantur, ut domestica concordia, firmum illud civitatis fulcrum, firmaretur. Merito hac de re Valerius ille Maximus, magnarum virtutum scriptor, „ veneranda", inquit, (2) „ et nescio an „ praecipuis, sed exquisitis sacrificiis colenda: „ utpote quotidianae ac domesticae pacis cus- „ tos, in pari iugo charitatis ipsa sui appella- „ tione virorum maiestati debitum ac foeminis „ reddens honorem".

Haec

(1) Quae autem Marco Claudio Marcello et C. Valerio Cosſ. a foeminis perpetrata esse narrantur, veneficia nempe, haec mihi fide vix videntur digna, et cum Livio (VIII. 17.) potius credimus, tot viros non veneno, sed morbo forsan contagioso obiisse. Vid. Stuart, Rom. Gesch. Deel IV. bl. 361 sqq.

(2) II. 1. 6.

Haec igitur omnia ad morum integritatem efformandam conduxerunt; quae quidem praeterea affirmare videntur, magnam foemineae virtutis apud Romanos fuisse existimationem, dum et ipsi virtutes colerent. Erat porro gravitas quaedam viris foeminisque communis, et ubique in Romanorum ritibus decorum quoddam grave observatur (1). Non e virorum coetibus ac commesfationibus mulieres segregabantur (2), „ sed cum viris *cubantibus sedentes* „ coenitabant (3)". In ipsis nuptiarum solemnibus eadem reperitur verecundia, quum nova nupta mariti domum non ingrederetur, verum quasi invita super limen tolleretur (4). Magni sane ipsi Romani muliebrem verecundiam faciebant (5). Nota est illa Catonis maioris severitas, qua

(1) Maximi duxisse Romanos decorum vel exinde pateat, quod dubitaverit Cicero, *Officium* an *Decorum* antiquius habendum esset: quod passim ex opere eius praestantissimo *de Officiis* liquet.

(2) Conf. Corn. Nepos in Praef. 6.

(3) Valer. Maxim. II. 1. 2.

(4) Plutarch. Quaest. Rom. Tom. II. pag. 263 sq. Lucan. Pharf. II, 358. Serv. ad Virgil. Ecl. VIII. vs. 29.

(5) Cf. Gellius IV. 3. Festus in v. pellex. Tertullian. de Cult. Foem. cap. XII. et Val. Maxim. IV. cap. 4. et VI. 1.

qua Cenſor ſenatu Manilium quemdam movit, quia, vidente filia, uxorem osculatus esſet (1).

Notisſimum illud Virginii facinus, qui necare filiam maluit, quam pati, ut foedus ille Appius Decemvir ſcortum illam haberet (2).

Quum itaque magni muliebrem virtutem viri facerent, foeminae quoque vita ſua domestica contentae remanſerunt, neque aliam ferme voluptatem noverunt, niſi quam recta rei familiaris afferret adminiſtratio. Quum et officiis domesticis cesſaverint nunquam, maior cura in liberis educandis bonos cives protulit, ut ita ſtrenuis militibus patria gauderet, ut ipſarum matrum fama e gloria filiorum inclaresceret.

Sic apud antiquas Romanas non virtutes late fulgentes, non ingenii claras facultates, quae vel doctos admiratione impleant, verum tranquil-

(1) Plutarch. in Cat. mai. Op. Tom. I. p. 346. Quae coniugatis foeminis, non tamen virginibus, viſu vel auditu ſunt decora. Hinc Virgo μισόγαμος apud Erasmum, in Colloquiis, pag. 171. (Ed. Elzev.) „ Offendunt me", inquit, „ in aedibus paternis crebra convivia; nec ſemper virginea ſunt, quae illic dicuntur inter coniugatas; et aliquoties fit, ut osculum negare non posſim".

(2) Vid. praeter alios Livius, III, 44.

quillam hancce reperimus boni animi indolem, et humilem illam ast venerandam rei domesticae peritiam *, quarum virtutum praestantia saepius, proh dolor! ignota iacuit; quae tamen vera sunt, atque semper erunt fulcra civitatum firmissima. — Probe vivere, neque malos novisse mores; in officia incumbere, neque voluptatum causa ab iis unquam abstinuisse; rem familiarem diligenter curare, neque iactavisse unquam, civitatis salutem inde firmari; placida tangi naturae dulcedine, neque infectas esse unquam subtilitate illa, immo depravatione sensus, quae saepissime ridicula est; ecce virtutem simplicem, foeminarum Romanarum decus et ornamentum. Quum opulentam intuear matronam, voluptatibus plane deditam, quae ubique ingenii sui acumine fulget, quamque turba admiratorum circumdat; atque oculis versis, matremfamilias contempler, quae nunquam a labore vacat, quae ad id semper tendit, quo salutem domesticam firmet, quo liberos reddat beatos atque utiles patriae cives: licet magnificentiae ostentatio, licet cultus victusque sumtuosus et splendidus oculos meos caligine primo obumbraverit, rationemque obstupescere fecerit; subinde tamen tranquillus animus sententiam pronuntiabit, matremfamilias sedulam magni faciet, illam illustrem ducet, et

al-

alteram illam lautam despicere paulatim incipiet.

Sic plurimi matronas facio Romanas, antiquis reipublicae temporibus, quae quidem placida illa et domestica virtute praeclarae appellentur. Sunt quoque veterum scriptorum testimonia, quae nostram firmant probantque sententiam. „ Apud Romanos (ita Columella (1)) usque in patrum nostorum memoriam, fere domesticus labor matronalis fuit, tanquam ad requiem forensium exercitationum, omni cura deposita, patribusfamilias intra domesticos penates se recipientibus. Erat enim summa reverentia, cum concordia et diligentia mista, flagrabatque mulier pulcherrima diligentiae aemulatione, studens negotia viri, cura sua, maiora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut foemina proprium esse iuris sui diceret: sed in commune conspirabatur ab utroque, ut cum forensibus negotiis, matronalis sedulitas industriae rationem parem faceret".

Tantae virtutes abunde cum sufficerent ad foeminas honorandas, alia accessit virtus, quam ipsi Romani, mulieres inprimis, in honore habue-

(1) Rei. Rust. XII. Praef.

buerunt: caeteris enim (uti iam antea diximus) virtutibus insignis erga patriam amor iungendus est, qui nobiliores multo reddidit foeminarum Romanarum mores.

Rectio imperii apud Romanos, commune cum rebuspublicis omnibus hoc habuit insigne lucrum, quod ipse rerum administrandarum modus patriae amorem inter cives augeret; ita et foeminae e populari regendi modo (*Democratia*) auctum traxerunt erga rempublicam amorem (1). Sed

(1) Facillime prorsus Romanis ea accommodentur, quae generatim de populis antiquis dixit acutissimus Montesq. *Esprit des Loix*. IV. 4. „ La plupart des peu„ ples anciens vivoient dans des gouvernemens, qui ont „ la vertu pour principe; et lorsqu'elle y était dans sa „ force, on y faisoit des choses, que nous ne voions „ plus aujord'hui et qui étonnent nos petites ames :" — Et cap. 5. sic pergit: „ La crainte des gouverne„ mens dispotiques naît d'elle même parmi les me„ naces et les châtimens; l'honneur des monarchies „ est favorisé par les passions, et les favorise à son „ tour: mais la *Vertu* est un renoncement à soi mê„ me, qui est toujours une chose trés pénible. On „ peut definir cette *Vertu*, *l'amour des lois et de la* „ *patrie*. Cet amour demandant une prèference con„ tinuelle de l'interêt public au sien propre, donne „ toutes les vertus particulieres; elles ne sont que „ cette *préférence*. Cet amour est singuliérement af-

Sed et alia erant quae mulierum erga patriam flagrantem amorem auxerunt: vita domestica, labor assiduus in re familiari, cura liberorum, cum quorum virtute ipsarum foeminarum iuncta erat gloria, omnis impudicitiae detestatio, amor denique erga maritos liberosque: haec omnia quasi totidem adhortamenta fuerunt, quibus patriam amarent, a cuius salute, invitis legibus, quae de foeminis severe sane pronuntiabant, propria pendebat fortuna. Subblandiebatur porro muliebri superbiae, quod uxores dicerentur invictorum virorum, et a coniugibus tantis adamarentur, qui, ut fructus victoriarum perciperent, ingenti semper cum gloria domum redibant. Odisse gentes victas vicinas vel longe abiacentium regionum incolas nomen Romanum, nisi iam intellectum tenuissent, experientia certe docuerit. Populus enim victor,

„ affecté aux Democraties. Dans elles seules le gou-
„ vernement est confié à chaque citoyen. Or le
„ gouvernement est comme toutes les choses du mon-
„ de: pour le conserver il faut l'aimer". Cf. Iselin, über die Gesch. der Menschh, Tom. II. Lib. 7. cap. 8. pag. 145. et cap. 20. pag. 197-204. et I. G. Herder, Ideen zur Philosophie der Gesch. der Menschh. Tom. III. Lib. 14. cap. 2. pag. 280-295.

stor, qui tot regiones regnaque armis ceperat, quomodo vacuus ab odio remansisset? Quo maiora igitur incrementa imperium Romanum sumeret, eo magis odium crescere necesse erat, et maior quoque, oblata occasione, timenda vindicta. Quum itaque detrimentum aliquod caperet respublica, ipsis hoc foeminis damno erat, et timor, ne ipsam urbem inimici popularentur, animos muliebres affligebat (1). Sic amor sui suorumve, originem praebuit praestantissimae illi mulierum virtuti, quae iteratis vicibus in historia Romana tantopere enituit. Verum et educatio (2), leges, vel ipsa reipublicae for-

(1) Sic Montesq. Reflex. sur la grand. et decadence des Romains ch. 1. p. 8. Edit. Stereotyp. (Les Romains) „ toujours exposés au plus affreuses „ vengeances, la constance et la valeur leur devinrent „ nécessaires; et ces vertus ne purent être distinguées „ chez eux, de l'amour de soi même, de sa famille, „ de sa patrie, et de tout ce qu'il y a de plus cher „ parmi les hommes".

(2) Iure enim merito apud Plutarchum (in Bruto Tom. I. pag. 989 et sq.) ad maritum Porcia Ἀλλ' ἔστι τις, ὦ Βροῦτε, καὶ τροφῆς ἀγαθῆς καὶ ὁμιλίας χρηστῆς εἰς ἦθος ἰσχύς. ἐμοὶ δὲ καὶ τὸ Κάτωνος εἶναι θυγατέρα, καὶ τὸ Βρούτου γυναῖκα, πρόσεστιν· Cf. omnino Sallust. in Iug. pag. 20 sqq. (Ed. Thys.) et Polyb. Hist. VI. 51. seq. p. 689. Ed. Gronov.

fortuna atque clarorum virorum exempla (1), tantum apud foeminas valuerunt, quod vel ideo virtutes exercuerint, quae sexum muliebrem masculo nobiliorem fecerunt. Sic nobilior Veturia Coriolano, sic fortior Terentia Cicerone, Paulina philosopho marito; sic Scipionis Catonisque filiae, sic Gracchorum mater, sic Bruti conjux ab antiquis generis virtutibus abalienari nullo modo potuerunt. Non ex Orientalium, neque Graecorum gynaeceis, cum optima etiam indole, tales prodierunt mores et virtutes, quales educatio et vita austera ac domestica inter Romanos protulerunt. Siquidem historias consulendas adeamus, genus muliebre facinorum clarorum serie praeclarum et insigne reperiemus, videbimusque, populum quoque Romanum grates mulierum meritis solvisse debi-

(1) Ipse Cicero, vel publica oratione, virtutis exemplum foeminam e contrario proposuit viro; ut in Orat pro M. Coelio cap. 14. ubi, quum (Coecum) Appium loquentem induxerit, „ Nonne te, (Q. Metelli,) „ si nostrae imagines viriles non commovebant, ne „ progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam „ domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat? non virgo illa Vestalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem, ab inimico tribuno „ plebis de curru detrahi passa non est? &c.

bitas. Sic audaci Cloeliae honoris testimonium ſtatua equeſtris poſita est (1). Sic amore erga patriam ductae mulieres omnes, maximi viri Publii Valerii Conſulis mortem, ut Bruti, luxerunt (2). Sic Coriolani tempore a foeminis ſervata Roma est, et praemia facti mulieres a Senatu lauta reportarunt (3). Sic matronae Romanae, urbe a Gallis capta, aureis cultus ornamentis patriam quaſi redimere, promptas ſeſe praeſtiterunt; laudationes publicae patriae amoris praemium fuerunt (4). Sic, quum Terentii Varronis inſigni temeritate ſeptuaginta militum millia cecidisſent, in his nobiles multi et magnus Aemilius: quum clades illa Cannenſis rempublicam fere evertisſet: quum Hannibal exitio urbis inſtare videretur: quumque Romanis nihil ſuperesſet, niſi ipſa civium virtus, omne quod haberent divitiarum foeminae, libenter in maxima moeſtitia patriae devoverunt (5). Denique, ne plura addam, tanti matris Gracchorum me-

(1) Vid. Livius II. 3.

(2) Idem, l. l. cap. 16.

(3) Vid. Plutarch. in Coriol. Tom. I. p. 230. ſq. et Livius, l. l. c. 40.

(4) Plutarch. in Cam. Tom. I. pag. 140. ſeq.

(5) Vid. Plutarch. in Fabio Tom. I. p. 182. ſeq. Cf. porro Livius, XXII. 44. ſeq.

merita de patria Romani duxerunt, ut ſtatua illi poneretur (1).

Vidimus itaque mulierum Romanarum characterismum multis virtutibus, pudicitia inprimis et erga patriam amore ornari; verum de iis hactenus foeminarum moribus nihil disſeruimus, qui laude minus videntur digni: ut de hisce nunc agamus, brevitatis ratio ſuadet.

(1) Vid. Plutarch. Gracch. Tom. I. p. 836. verſ. fin.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Temperantiâ et modestiâ praestitisse mulieres Romanas antiquis temporibus, affirmo; neque ideo negandum, nulla eas ad intemperantiam proclivitate laborasse. Numa enim, praestans ille Rex et pacificus, Romanorum sapientissimus legislator, qui quidem populi Romani indolem exploratam omnino se habuisse demonstravit, mores statutis legibus prorsus frugales reddi, necesse duxit. Nisi igitur timendum fuisset, ne quodammodo a vitae austeritate et temperantiae instituto aberraret populus, nullam invenio causam, cur in maxima morum simplicitate, de victu foemineo leges essent latae (1). Iam ipse Romulus, licet sexui ob raptum Sabinarum blandiretur (2), legibus tamen

(1) Cf. Meiners, Gesch. der Weibl. Geschl. Tom. I. pag. 385.

(2) Vid. Plutarch. in Comp. Lyc. cum Num. pag. 77.

men eum cohibuit; et Numa, in integro foeminae relictis honoribus, severe de mulieribus statuit (1). Romulus, foedere cum Sabinis icto, ut via foeminis decederetur, iusserat, ne mulieris unquam laederetur pudor (2): insigne quoddam liberis e Romana muliere natis tribuerat, et, quod maximum honoris erat documentum, *Matronalium* institutione dies festos auxerat (3). Quamvis hisce institutis adsenserit dein Numa, nihilominus foeminarum mores severis iussis emendari necesse existimavit. Mira autem narrata mihi crederem, si quis, data occasione, genio nunquam foeminas indulsisse, affirmare vellet. Si quidem contra modestiam vel pudicitiam aliqua peccasset, inter ipsas foeminas crimen obprobrio erat; sed levius multo intemperantiae crimen ductum fuerit; et quomodo tandem fieri potuisset, ut vetus illa in liguritionem proclivitas nunquam praevaluerit?

Maritorum fuit hac in re leges vindicare, quod satis indulgenter ab iis tractatum videtur.

Ni-

(1) Vid. Idem eod. l. et Plin. Hist. Nat. XIV. 3. Gellius, X. 23. et Valer. Max. VII. 3. 9.

(2) Cf. Acta Societ. Rheno-Traj. Tom. I. pag. 116. seq.

(3) Vid. Plutarch. in Rom. Tom. I. pag. 30. med. et sub fin.

Nimiam enim illam virorum indulgentiam mox gravisſimus Cenſor inprobat in oratione illa, ne Oppia lex abrogaretur (1). „ Si „ in ſua, inquit Cato, quisque nostrûm ma„ trefamiliae, Quirites! ius et maiestatem viri „ retinere inſtituisſet, minus cum univerſis foe„ minis negotii haberemus: nunc domi victa li„ bertas nostra, impotentia muliebri." Neque autem facile fuit, foeminam cohibere Romanam; quippe in eadem oratione Cato „ Re„ cenſete, inquit, omnia muliebria iura, qui„ bus licentiam earum alligaverint maiores nos„ tri, per quaeque ſubiecerint viris: quibus „ omnibus conſtrictas vix tamen continere po„ testis."

Magnificentiam cultus magnopere etiam matronae Romanae amabant: et ubinam mulier reperitur cui alia mens est? faciunt beatitudini mulieris ornamentorum copia et delectus (2). Nimium autem cultus lauti deſiderium virtutum Romanarum nitorem et morum gravitatem inter foeminas imminuit. Ignobile et vile fuisſe praemium a Senatu foeminis tributum, uno ornamento lautius caput exornare, quis infitias eat?

Ri-

(1) Vid. Livius, XXXIV. 1. ſeqq.

(2) Apud omnes gentes, etiam minime cultas, corpori exornando foemimas ſtudere, viatores nobis affirmant.

Ridiculum profecto fuerit, si quis olim Romanus vir foeminarum nobilissimum facinus cum facti praemio comparaverit. Magnus Coriolanus iure in patriam infensus cum Volscorum exercitu ipsi Urbi imminet; frustra deprecari Imperatorem sacerdotes et Senatus Romanus conantur; adeunt autem mater eius et uxor ducem belli, ac binis virtutibus salva Roma est! Quale facinus! splendidius capitis tegmen inter praemia recensetur. Hoc profecto naturali quodam modo muliebrem naturam exponit.

Sed eo usque cultus lautioris ardor foeminas propulit, ut contra verecundiae atque modestiae decorum graviter etiam peccarent, turbatim in forum prodirent, viros quin imo alienos et magistratus vel Consules adirent, magno cum strepitu orantes atque postulantes, ut saltem Oppiae lex, frenum illud foeminei fastus, abrogaretur. Quam alienum a moribus Romanorum factum hoc fuerit, exinde affirmare licet, Senatum quondam ad Deos consulendos misisse, quidnam urbi portenderet mulier, causam in foro dicere ausa (1).

Gra-

(1) Plutarch. in Comp. Lyc. cum Num. 1. p. 77. Conferendus Valer. Max. VIII. 3. 2. ubi de Afrania, matrona minime obscura, quae semper pro se apud Praetorem verba fecit, „*Non quod advocatis deficiebatur, sed* „*quod impudentia abundabat.*"

Graviter etiam Cato, quum de Oppia lege ageretur, facinus muliebre insectatus est (1). „ E- „ quidem, inquit, non sine rubore quodam „ paulo ante per medium agmen mulierum in „ forum perveni. Quod nisi me verecundia sin- „ gularum magis maiestatis ac pudoris, quam „ universarum tenuisset, ne compellatae a „ Consule viderentur dixissem; qui hic mos in „ publicum procurrendi, et obsidendi vias, et „ viros alienos appellandi?" Nolo autem affirmare, antiquis temporibus audaciam mulieris Romanae tantam fuisse; quippe quum haec fierent, morum corruptionem incrementa in dies sumere perspicuum iam erat. Quamquam Carthago, Corinthus et Numantia nondum dirutae iacerent, quanta tamen, profligato bello Punico secundo, morum corruptela fuerit, inter omnes constat (2). Iam saepius de morum a simplicitate et virtute ad luxuriem et vitia conversione questus erat Cato (3). Iam iam ad ea tempora pervenerat civitas, quibus foeminae ple-

(1) Livius, XXXIV. 2.

(2) Cf. Grotii Parall. rer. publ. edente Meerman. Tom. I. pag. 91. et Valer. Max. II. 7. 1. ubi de meretricum turba e Romano exercitu ad Numantiam, a Scipione pulsa.

(3) Vid. Livius, l. l.

pleraeque, ut Columellae verbis utar (1), „ sic „ luxu et inertia diffluebant, ut ne lanificii qui„ dem curam suscipere dignarentur, sed domo se„ dentes confictas vestes fastidio haberent, per„ versaque cupidine pretiosiores alias a viris pelli„ cerent, quae grandi pecunia et totis pene sensi„ bus redimebantur". Iam iam ad ea accedebat tempora, quibus foeminae accusarentur de *libidinibus*, *amoribus*, *adulteriis*, *Baiis*, *Actis*, *conviviis*, *commessationibus*, *cantu*, *symphoniis*, *naviglis* (2); Ad ea iam iam pervenerat tempora, quibus, ut cum Sallustio loquar (3), „ Pro pudore, pro „ abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, „ avaritia vigebant". Et praeterlapsa illa tempora, quibus „ animi virorum et foeminarum vige„ bant in civitate (4)."

Observavimus itaque indolem foeminarum Romanarum antiquis praesertim temporibus, sedulitate, simplicitate vitae, obedientia, pudore, pudicitia, liberorum cura, domestico studio et inprimis amore erga ipsam patriam, periculosissimis reipublicae temporibus, praeclaram fuisse: et licet ad summum accreverit fas-

(1) De Re Rust. XII. sub fin. praef.

(2) Sunt verba Ciceronis pro M. Coel. cap. 15.

(3) Bell. Catil. pag. 7.

(4) Sic. Valer. Max. IV. 4. 9.

fastigium corruptio morum, vestigia tamen antiquae virtutis inter foeminas nunquam rara fuerunt; sin vero integra quaererentur exempla, frustra quaesitum foret. Maculas etiam nonnullas eandem illam praestantem indolem contaminasse vidimus. Neque enim, *nihil perfecti sub sole*, sapientes, qui dixerint, immerito dixerunt.

Addamus etiam nonnulla, e quibus bellis Punicis finitis mulierum mores cognoscantur.

Foeminarum probitatem arctissime cum virorum virtute cohaerere, ipsa docet res, et numerus probat exemplorum. Verum ad Romanam civitatem haecce veritas praeprimis pertinet, qua virtus muliebris ex ipsa reipublicae fortuna, ex ipsis virorum virtutibus originem duxerat. Quamdiu uxorum suarum amorem magni fecerunt mariti, quamdiu illis recta rei familiaris administratio cordi fuit, tamdiu fides socialis, tamdiu foeminarum domestica cura, morum nobilis character remansit. Sed cum ipsi Romani Asiae luxu et luxui iunctis vitiis conmaculati, felices se esse posse uxorum amore, negare auderent; cum simplicis vitae domesticae dulcedinem amplius gustare detrectarent; incitamenta, quibus virtutes foeminae colerent, pariter evanescere, dura fuit necessitas. Quum viri libidinibus sese darent, et in vitia praecipites abirent, quum bella meretrix et alie-

aliena forma magis placeret, quam pulchra et proba coniux; quî tandem matronarum pudicitia et puellarum integritas vacua ab insidiis esse potuerunt? Ubinam tanta in virtutibus perseverantia, quam morum universa contagio intactam reliquit? ubinam denique probae mulieres quo desunt probi viri?

Sic bellis tribus Punicis profligatis, sensim sensimque deleta antiqua frugalitate, luxus vitia attulit et omnium rerum faciem inter Romanos mutavit (1). Viri, foeminae, iuvenes, puellae, virtutis immemores, de vitiis aemulari videbantur. Quum starent adhuc moenia Carthaginis, Roma magnitudinis aemulam habuit, et sui honoris causa, mores austeros legesque servare debuit; sed quum eo usque pervenisset imperium Romanum, ut armis vel Carthaginem cepisset magnus Scipio, parum temporis intercessit, quum in ipsius Carthaginis ruderibus, patriae infortunium Marius defleret (2).

Orien-

(1) Bene quoque de Romana civitate hocce tempore cecinisset poeta:

„ *Et memini et meminisse dolet, quia nulla supersunt,*
„ *Temporibus nostris priscae vestigia laudis*".

(2) „ Remoto Carthaginis metu, inquit Velleius „ Paterculus, Hist. Rom. II, 1., sublataque imperii „ aemula, non gradu, sed praecipiti cursu a virtute „ descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina

„ de-

Orientis divitiarum copia et luxus Romam invasere, Africa et Asia expilatis (1). Cum privatorum divitiae ita accrevissent, ut singulorum possessiones regias opes adaequarent, omne ingenium eo tendit, ut voluptates augerentur atque artium utilissimarum inter cives nobiliores cura nulla esset. Ad ea usque tempora exeogitatum non erat, artes utilissimas minime consen-

[illegible] ta-
„ deserta, nova inducta, in sommum a vigiliis, ab armis „ ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas". Et Florus III. 12. „ Nescio, inquit, an satius „ fuerit populo Romano Sicilia et Africa contento „ fuisse, aut his etiam carere, dominanti in Italia „ sua, quam eo magnitudinis crescere, ut viribus suis „ conficeretur; quae enim res alia furores civiles pe„ perit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa „ corrupit, mox Asiatica Pergameni hereditas, illae „ opes atque divitiae adflixere saeculi mores: mer„ samque vitiis suis quasi sentina, rempublicam pessum „ dedere." Cf. Meiners, Gesch. des Verfals der Sitten und der Staatsverfassung der Römer pag. 40—48. „ Die herrlichen Bildsäulen, inquit pag. 45., Ge„ mälde und Geräthe, womit Mummius alle Tempel „ und öffentliche Pläze in Rom und andern Städten „ von Italien anfüllte, erregten in den vornehmen „ Römern eine wüthende Begierde nach schönen „ Kunstwerken, besonders nach Korinthischen Ge„ fäszen". Vid. porro Auct. ad h. l. cit.

(1) Cf. Florus, l. l. et Polyb. de virtut. et vit. p. 1458.

taneas esſe cum gratia muliebri placendique ſtudio, neque hasce exerceri, ſine honoris maiestatisque detrimento, posſe: tum autem deterrima illa opinio matronarum fere omnium ſententia facta est, et omnium ſtudia in voluptates et delicias collata ſunt. Deſiit operibus intenta, civis patriae utilis esſe, matrona Romana. Ad illud usque tempus in officiis domesticis ſedulo curandis foeminea gloria poſita erat, tum vero officii exercitio acquirere illam, ſi quaequam voluisſet, ut ſtolida irriſa fuisſet.

Morum antiqua ſeveritas nunquam permiſerat foeminis, ut ludorum publicorum neque ſcenicorum participes esſent. Hisce autem temporibus tanta abſtinentia ignota fuit; ubicunque erat vir, et ibi mulier: ubi autem maiorem licentiam ſemel amare mulieres coepisſent, avide qualibet opportunitate uſae ſunt, ut magis magisque ſibi integram, omnia, quae ferret libera voluntas, agendi licentiam vindicarent. Tum angustiores videbantur aedium parietes, neque rerum domesticarum adminiſtratio amplius placuit; in res valere publicas ſtudium ortum et aucta mulierum vis fuit, ſtudentium, ut omnes *Matronae* appellarentur. Vix abrogata erat lex Oppia, et, ſolutis vinculis, omnia regendi cupiditas mulierum animos implevit.

Relaxabant quaſi ſponte ipſi viri frenum; et ge-

generatim affirmandum videtur, quo maior fuerit luxuria et morum contagio, eo maiorem leges mulieribus licentiam praebuisse (1). Minime enim sufficiebat leges abrogare sumptuarias, negligere quae de dotibus et tutela mulierum statutae erant, sed aliae leges aliter de luxu et foeminis pronuntiabant.

Diu iam ante Ciceronis aetatem maritale iugum excutere conatae erant. Ipse Tullius (2) „ cum permulta, inquit, praeclare legibus es„ sent constituta, ea Iureconsultorum ingeniis „ pleraque corrupta ac depravata sunt. Mu„ lieres omnes (si excipias Vestales) prop„ ter infirmitatem consilii maiores in tutorum „ potestate esse voluerunt: hi invenerunt gene„ nera tutorum, quae potestate mulierum con„ tinerentur."

Habuit in mores et characterem populi, maior illa licentia vim sane molestissimam. Nam quum

(1) Quo magis inculta gens sit, eo durior fortuna mulieres premit. Meretur hac de re conferri oratio V. Er. Kantelaar over den invloed der ware verlichting op het lot der Vrouwen en het Huwelijksgeluk. Quum igitur cum morum corruptela, literarum studium et ingenii cultura inter Romanos augerentur, ipsa mulierum aucta licentia, sponte e rerum statu originem traxit.

(2) Pro Muren cap. 12. cf. pro Caecin cap. 25.

quum olim matrona Romana mariti uxor, mater quoque familias veneranda esset, hisce temporibus rara fuere matrimonia, quae secundum veterum instituta contraherentur, et nulla sponsa materfamilias fieri voluit. Tres quum essent matrimoniorum contrahendorum ritus, vel *confarreatione*, quae nobilior fuit ratio, vel *coëmtione*, vel *usu*, tempore luxus emancipatio et remancipatio uxoris usui venit, quum *uxores* tantum essent foeminae, cura abiecta domestica (1).

Quantum hoc morum contagioni addere debuerit, quantam efficere in mulieribus indolis conversionem, ex ipsa re patet et docet historia. Nonne ille, mores qui noverit tantum veterum Romanorum, fabulam legere crederet, si quidem haec Senecae (2), ante oculos posita, videret. „ Pudorem rei tollit multitudo peccantium, et desinit esse probri loco, commune maledictum. Num quid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles foeminae non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant; et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii." — Et

(1) Cf. Grup. de uxore Rom. cap. VII. pag. 294. sqq. et auctores a doct. viro citati.

(2) De Benefic. III. 16.

Et deinceps. „ Num quid iam ullus," addit, „ adulterii pudor est, postquam eo ver-
„ sum est, ut nulla virum habeat, nisi ut
„ adulterum irritet? Argumentum est deformita-
„ tis pudicitia. Quam invenies tam miseram,
„ tam sordidam, ut illi satis sit unum adultero-
„ rum par? nisi singulis divisit horas et non
„ sufficit dies omnibus, nisi ad alium gestata
„ est, apud alium mansit. Infrunita et antiqua
„ est, quae nescit matrimonium vocari unius
„ adulterium." Vera, quamvis inaudita, scripsit philosophus. Hae autem sub Imperatoribus nequitiae ac morum pestis summum fastigium attingunt. Verum quid? cum iam ante multos annos, vir Senatorii ordinis, Cato ille Uticensis, in ipso Patrum concilio, sic disseruerit (1)? „ Nolite existimare, maiores nos-
„ tros armis rempublicam ex parva mag-
„ nam fecisse; — sed alia fuere, *quae no-*
„ *bis nulla sunt*; domi industria (2), fo-
„ ris iustum imperium; animus in consu-
„ lendo liber, neque delicto neque lubidini
„ obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam
„ atque avaritiam; publice egestatem, priva-
„ tim opulentiam: laudamus divitias, sequi-
„ mur

(1) Sallust. Bell. Cat. pag. 163.
(2) Cf. Cicero, pro Rosc. Am. cap. 18.

„ mur inertiam; inter bonos et malos discri-
„ men nullum; omnia virtutis praemia ambitio
„ posſidet; neque mirum, ubi vos ſeparatim
„ ſibi quisque conſilium capitis, ubi domi *vo-*
„ *luptatibus*, hic pecuniae aut *gratiae* ſervitis,
„ eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam."

Sic revera ardor pro patria extinguebatur, ſimulac morum pestis integram civitatem infecerat, et ad occaſum, repentino gradu, vergebat respublica libera (1). Neque mirum; quippe magnorum officiorum cura voluptatibus cesſit; „ per Deos immortales," idem inquit Cato (2), „ Vos ego appello, qui ſemper domos, villas, „ ſigna, tabulas vestras, pluris quam rempu- „ blicam fecistis,"

Quare, ſiquidem, vergente republica Romana, civium erga patriam amor elanguit, ipſam aemulationem principum virorum haud parum huc contulisſe conſtat. Etenim gloriae cupiditas magnos caeteroquin viros, ſuam famam patriae ſaluti praeferre docuit: haec Marium et Cinnam et Syllam; haec Pompeium et nobilem Caeſarem;

(1) Montesq. (Grand. et dec. ch. 4. pag. 25.) hinc iure dixit. „ La tyrannie d'un Prince ne met „ pas un etat plus pres de ſa ruine, que l'indifferen- „ ce pour le bien commun n'y met une republique."

(2) Salluſt. l. l. pag. 159.

rem; haec Antonium et Augustum, patriae pestes, genuit.

Quum igitur tot et tanta vitia viros maculaverint, quid de mulieribus cogitandum? Has profecto principum exemplis, patriam neglexisse, quis negaret? Has saeculi sui peste corruptas, reliquam quoque virtutum seriem, indolis quondam ornamentum, despexisse, quis facile non crederet? — Sed ne plura his addamus; quum nonnulla certe, quae ad characterismum foeminarum Romanarum faciunt, dicenda erunt, ubi de vi, quam habuerunt apud Romanos foeminae in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus, agemus; quam disquisitionem iam aggrediamur.

PARS

PARS ALTERA.

CAPUT PRIMUM.

DE VI FOEMINARUM APUD ROMANOS IN EORUM RES POLITICAS BELLORUM CIVILIUM TEMPORIBUS, GENERATIM CONSIDERATA.

Foeminas animo et corpore minus quam viros valere, nemo infitias facile ibit; neque autem omnibus ingenii facultatibus viros mulieribus prorſus praeſtare affirmandum; id tantum agitur, illam rationis ſublimitatem, quae viris propria eſſe ſolet, illam animi fortis conſtantiam ſexui muliebri minus quam virili competere. Voluit prudentia Divina foeminam vitae comitem viro dulcem atque utilem praebere, et eam ob cauſam idem ille Creator, iis animi et corporis facultatibus foeminas inſtruxit, quibus ad finem potisſimum, quo ducit earum natura, pervenirent. Ingenium enim acutum, iucunda et hilaris loquela, ſermonis iocoſi facetiae et lepos, ſumma clementia, ex oculorum nutu ef-

ful-

fulgens, vel e suavi vocis sono intellecta, forma venustissima cum arte blandiendi subtilissima; en! quae habet a natura mulier; et ubinam vir reperiatur, quem haec omnia nullo modo tangant? (1). Est praeterea in utroque sexu mutuus appetitus, qui vinculum praebet firmius etiam virum foeminamque inter. Nonne maritus uxore, cuius maximi facit merita, beatus et amoris dulcedine captus ad obsequendum coniugi coactum prorsus sese videbit? Ac per Deos! quid unquam animo carius, amabiliusve, quam iuvenilis et venusta materfamilias; quae animo hilari officiis per diem intenta domesticis, sub vesperam marito ad quiescendum a labore domum repetenti, obviam eat; parvulus puer a matre edoctus, quo patri subblandiatur et genubus haereat; et pia mater, casta coniux, infantem ubere lactans et marito offerens. — Hoc modo vel viris imperent mulieres; hoc modo antiquis Romae temporibus sibi maritos coniunctissimos habuerunt (2).

Vir-

(1) Quantum mulierum illarumque commercii intersit virum, bene exposuerunt Pockels, (Characterschets der Vrouwen, edente van der Linden, Tom. III. p. 103 sq.) et elegantissimus Thomas, (Essai sur les femmes, Op. Tom. IV. pag. 193 sq. edit. a. 1802).

(2) „Iam primum", inquit Scriptor Dial. de Orat. § 28,

Virtutis autem domesticae amabilitate bellorum civilium tempore, nihil ferme mulieres valuerunt; virtus enim simplex a luxu aliena est. Sed, quod tristius est, corruptio morum omnes fere quoque foeminas infecerat. Alia itaque norma extitit, secundum quam vis foeminarum in viros atque sic in res politicas ageret.

Maximam astutiam generi inprimis muliebri propriam esse, quis neget? Varias arripere opportunitates, quibus ad voluntatem suam negotia dirigant, nunc hanc, nunc illam agentes personam, nunc sensus, nunc rationem, iam virtutem et mores corruptos oppugnantes, en varia artificia, quibus vim sibi facile paret callida mulier (1), quibus prosit, quibus noceat, quippe quidem mulieris vafrae nemo ab insidiis tutus (2).

Prius-

§ 28, „ suus cuique filius ex casta parente natus, „ non in cella emtae nutricis, sed gremio ac sinu „ matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tue- „ ri domum et inservire liberis".

(1) Huiusmodi artium gnara certe Sempronia illa, qua usus Catilina, quae versus facere poterat, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; esset. Vid. Sallust. Bell. Catil. p. 72. cf. Meiners, über den Verfall &c. p. 199. sub fin.

(2) Si turpissimae, ast equidem vafrae, mulieris in his-

Priusquam autem de ipsa foeminarum Romanarum vi disquisitionem historicam incipiamus; a re nostra haud alienum arbitror, paucis de iis praemonere, quae civilium bellorum temporibus vim muliebrem auxerunt. Quum rerum itaque statum, foedo, et teterrimo illo furoris civilis tempore, consideremus, primum ea de re cogitandum, quod licentia maiore multo foeminae usae sint, neque ab iis, quae dedecori olim fuissent matronae Romanae, nunc abstinere necesse ductum sit (1). Quum aequis legibus, quae

historia Romana exemplum e multis unum afferre liceat, *Sassiam* nominamus A. Cluentii matrem, quam istic acerbe verbis sectatus est Cicero in Orat. pro Cluent. cap. 5. et seq. — „ Nihil, ait „ cap. 6, in vita vidit calamitatis A. Cluentius, „ nullum periculum mortis adiit, nihil mali timuit, „ quod non totum a matre esset conflatum et pro„ fectum. — Hoc enim ipsum iudicium, hoc „ periculum, illa accusatio, omnis testium co„ pia, quae futura est, a matre initio est adornata, „ a matre hoc tempore instruitur, atque omnibus „ eius opibus et copiis comparatur: caet."

(1) „ Quae Oppiis quondam aliisque legibus con„ strictae, nunc vinculis exsolutis, domos, fora, iam „ et exercitus regerent". Severus Caecina apud Tacit. Ann. III. 33.

quae tantopere modestiam atque temperantiam tuebantur, Roma floreret, omne quod potuerunt foeminae, intra domi parietes potuerunt. Interdictum illis frequens cum viris alienis erat commercium. Quod si per matronalem modestiam licuisset, viri tamen a sua maiestate alienum arbitrati essent, cum foeminis frequenter versari. Deleta autem maiorum austera gravitate, amplior mulieribus campus patuit. Omnes quos libuisset viros, mulier adire potuit, commercium instituere et de suis illecebris periculum facere. Quantam virorum characteris conversionem illa foeminarum aucta licentia efficere debuerit, ex ea inprimis morum mutatione patebit, quam in aulas regias matronae attulerunt. Iam *Imperium* Romanum hac de re exempla protulit luculentissima et recentiorum rerum historiâ adhuc clariora (1). Hac autem de re agere vetat operis nostri ratio. Liceat potius sententiam memorare Severi Caecinae antiquam

(1) Cf. Montesq. Espr. des Loix, Tom. I. ch. 9. Siquidem Francisco I. vel Carolo IX. vel Ludovico XII. regnantibus, Gallorum mores et res consideremus, de foeminarum vi nihil dubii erit reliquum. Conferri hac de re meretur doct. Meiners, Gesch. des Weib. Geschl. Tom II. cap. 4. pag. 204. sqq. et cap. 6. pag: 365. sqq.

quam legem vindicantis, ne quem magistratuum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur (1). „ Haud — frustra, inquit, placitum o„ lim, ne foeminae in socios aut gentes exter„ nas traherentur: inesse mulierum comitatui, „ quae pacem luxu, bellum formidine moren„ tur, et Romanum agmen ad similitudinem „ barbari incessus convertant. Non inbecillum „ tantum et imparem laboribus sexum, sed, si „ licentia adsit, saevum, ambitiosum, potesta„ tis avidum: incedere inter milites, habere ad „ manum Centuriones: praesedisse nuper femi„ nam (2) exercitio cohortium, decursu legio„ num" caet. Haec cum sub Tiberio Imperatore mutatam foeminarum conditionem monstrant, tum de sexu sequiore memorabilem Romani viri sententiam continent (3).

Videntur autem iam bellorum civilium temporibus foeminae quam plurimum valuisse (4): Ma-

(1) Tacit. l. l.

(2) Tangunt haec Plancinam, prout vult Lipsius. Assentiuntur Ernesti et Oberlinus.

(3) Quanta saepius Romanarum matronarum exercitus comitantium vis in negotia fuerit, vel sola Agrippina, Germanici praestantissima coniux, docuit.

(4) Secundum veritatis legem Meiners (Gesch. des Weibl. &c. Tom. 1. p. 392.) scripsisse arbitror, ubi haec, „ Selbst die grösten Staatsmänner unternahmen

Maiorem earum praesertim licentiam huc conduxisse, facile perspicitur: at vero exigua illa mulierum vis fuisset, nisi simul quoque Romani viri a maiorum virtutibus descivissent. Corruptis autem viris, luxu et fastu, qualis incognitus nobis, quemque vix nobis cogitatione adumbrare possumus, salus publica nulli, paucissimis saltem, cordi fuit, et antiquus ille erga patriam amor, quo ad magnitudinis fastigium evecta a maioribus Roma erat, abiectus iacebat. Neque hoc mirandum profecto. Etenim respublica libera nominari amplius Civitas non merebatur. Quippe diversi vicissim, pro armorum fortuna, quibus se invicem necem inferre studebant cives, tyranni illam tenuerunt, et civium maxima pars patriam fere non recordabatur. Quum igitur viri minus reipublicae mo-

„ nichts wichtiges, ohne Weiber um Rath zu fragen, „ oder ohne sie wenigstens als Werkzeuge zu brauchen, und es fehlte also weiter nichts, als dass „ man Weiber in die Volksversamlungen, wie in die „ Amphiteater zugelassen, oder sie, wie Heliogabalus seine Mutter förmlich in den Senat eingeführt „ hätte, um sie öffentlich für das, was sie wirklich „ waren, für Herrinnen ihrer Männer und Liebhaber, „ und für Regentinnen des ganzen Volks zu erklären".

moderandae ſtuderent, mirum profecto non est, illos leviori etiam momento impulſos et ſubactos fuisſe (1).

Accesſit ſumma illa univerſorum impudentia, qua pluribus palam concubinis vir, pluribus procis foemina blandiretur et amore ſaepius inſaniret (2). Turpisſimae meritricis cedere voluntati, pluris apud degeneres Romanos ponderis fuit, quam nervos ad ſalutem publicam intendere; ſuamque ſententiam reiicere, ſi vellet ita ſordida muliercula, leve existimatum fuit. Hoc modo revera mulieres coniunctas rebus ſuis habere interfuit multum istorum virorum, qui in ſumma luxuria, immemores nunquam ſcopi fuerunt, quem pesſima uniuscuiusque peteret ambitio. Principes itaque, qui tyrannidem occupare conabantur, optimatium quoque matrimoniis ſuas partes firmare ſtudebant, et eae fre-

(1) Cf. Plutarch. in Lucull. Tom. 1. pag. 495 ſeq.

(2) Tanta iam diu ante bella civilia morum erat contagio, ut honori fuerit Scipioni minori, illum ab amoribus Romanorum ſolitis abſtinuisſe, et, „ μέγας „ οὗτος (uti ait Polyb. de Virt. et Vit. pag. 1457.) καὶ „ δυσεφικτὸς ὁ στέφανος, εὐθήρατος ἦν κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν „ ἐν τῇ Ῥώμῃ διὰ τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ὁρμὴν τῶν πλείστων· οἱ μὲν „ γὰρ εἰς ἐρωμένους τῶν νέων, οἱ δὲ εἰς ἑταίρας ἐξεκέχυντο. „ κ. τ. λ."

frequentes ſponſiones ac nuptiae fuerunt, quae arcte cum bellorum civilium eventu cohaerebant, verum totidem repudia et divortia haud minus celebrata (1). Postquam ſemel itaque bellorum civilium et civitatis moderatores, foeminas rebus ſuis inſervire, utile duxerant, latior inde campus mulieribus patuit. Varia porro ipſa ſtudia partesque, quae Romanam civitatem tantopere turbabant, viam quoque àd foeminarum vim apertam praebuerunt. Quum a neutris partibus aliena mulier, loquacitate ſua callida abuſa, arcana olim ſibi commisſa, conditione mutata, proderet, facile intelligatur, quantum in res valuisſe proditio debuerit.

Sed et alia exſtitit norma, qua in rebus politicis maximi momenti fuerunt mulieres. Neque enim praetereunda ſunt, quae laudationibus honoribusque foeminarum addiderunt, virtutes puto et ingenium cultum. Vis autem virtutis maioris ea de cauſa ponderis existimanda est, quod contagio morum et pestis integram fere Romam occupavisſet. Quum callidae eo usque esſent matronae, quod temporibus ſapienter uterentur, rectâque viâ ad ſcopum ſuum tenderent, ipſa vir-

(1) Cf. exempli gratia Plutarch. in Syll. Tom. I. p. 473. et in Pomp. p. 623. Id. in Cat. min. p. 770.

virtus nunquam et nusquam quiescendi, neque vitam desidiose trahendi, fuit calcar: virtus quippe mala et vitia avertere iisque mederi amat. Timide autem et cunctanter hîc aliquis roget, ubinam Romae quaerat probam simulque sapientem matronam? Ipsa Urbs praebuit; licet abiecta virtus iacuerit, in nonnullarum tamen praecordiis penitus remansit et probis Roma nunquam plane caruit. Sint testes tot inter Romanos coniugalis amoris exempla, quum tyrannorum crudelitas caedem spargeret: sint testes foeminae, quae coniuges maximo saepe ipsarum periculo saevitiae subtraxerunt.

Fuerunt nounullae quidem eaeque principes matronae virtutis laude et ingenii celebritate nobiles. Sic laboriosissimi Caesaris filia, magni Pompeii casta coniux, turpissimâ aevi sui notâ inusta nunquam fuit. Sic Porciam Uticensis filiam, venerandique Bruti fortem et probam uxorem, maiorum virtutis patrisque exempli memorem, civitatis Romanae maculas auxisse, nemo est, qui affirmare, qui existimare audeat. Sic Octaviae Augusti Imperatoris sorori, miserandaeque Marcelli viduae sapientiam nemo denegabit, et virtutes eius omnium saeculorum probi homines sibi exemplo sument. Sic Livia Augusti coniux et magni facienda,

„ *Nam*

„ *Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,*
„ *Qui minimis urgetur:* —— ——" (1).

Addamus iam literarum studium, quo multae etiam mulieres inclarescebant; hoc enim praebuit cum viris et principibus et doctis commercium foeminarum; hoc auctam vim, aucto lepore et venustate, dedit (2). Iam ante bellorum ci-

(1) Horat. Sat. I. 3. 68. sq.

(2) Non possum, quo minus verba, rei nostrae facientia, doctissimi et elegantissimi Thomas (Ess. sur les Femm. Tom. IV. p. 208.) memorem. „ Remarquons," inquit, „ que cette époque des talens „ dans les femmes se trouve à Rome dans le temps „ où la société devoit être beaucoup plus perfectionnée par l'eloquence, par le luxe, par l'usage et „ l'abus des arts et des richesses. Alors la retraite des „ femmes dut être moins austère; leur esprit plus „ actif fut plus exercè; leur ame eut de nouveaux „ besoins; l'idée de la reputation nacquit pour elles; leur loisir augmenta par la distinction des devoirs. Il y eut des devoirs vils, et que les femmes opulentes laissoient, pour ainsi dire, au peuple: „ il y en eut de nobles, et qui étoient bientôt remplis. Pendant six cents ans les vertus avoient suffi pour plaire; alors il fallut encore l'esprit. On „ voulut joindre l'eclat à l'estime, jusqu'a ce qu'on „ apprit à se passer de l'estime même; *car, dans tout* „ *pays,*

civilium tempora mater Gracchorum doctissima exstiterat (1). Erat perita literarum Sempronia illa, Catilinariae coniurationis socia (2): uxor illa Pompeii, iunioris Crassi vidua, quae nomine Cornelia, doctrina sua matre Gracchorum haud inferior erat (3). Nec non eloquentia

„ *pays, à mesure que l'amour des vertus diminue, le* „ *prix des talens augmente*" caet. Ingenii autem existimationem augeri, dum virtutis pretium minuitur, sententia est, quam integram auctori relinquimus. Cf. porro Meiners, Gesch. des Verf. der Sit. und Staasv. der Röm. qui pag. 199. haec habet de foeminis, „ Zwar „ wurde ihr Leib, und ihr Geist durch eine jede „ Kunst und eine jede Gattung von Kenntnissen ge- „ bildet, wodurch die Reize von beyden erhöht, und „ für Kenner der Schönheit und des sinnlichen Ver- „ gnügens anziehend und verführerisch werden konn- „ ten" caet.

(1) Vid. apud Corn. Nepotem, Epist. eius fragmenta pag. 745 et sq. Edit. Staveren. Cf. Quintilian. Inst. Or. I. 3. Cicero ad Brutum, Cap. 27. et Cap. 58. Ubi haec habet Tullius, „ Legimus episto- „ las Corneliae matris Gracchorum — apparet filios non „ tam in gremio educatos, quam in sermone matris", Add. Plutarch. in Gracch. Tom. I. p. 824.

(2) Vid. infra C. III. et auctores ibi cit.

(3) Vid. infra C. IV. et auct. ibi cit.

tia insignis fuit filia summi Oratoris Hortensia (1).

Literarum hocce studium cum principibus et in civitate doctis viris commercium auxisse, ipsa res docet et probat historia. Summus enim Romanorum orator, rhetor et philosophus Cicero ornatum uxoris Scaevolae sermonem amabat, eiusque Mucias filias earumque Lucinias neptes loquentes lubenter audire solebat(2). Sic propter philosophiae studium, familiaris et necessaria (3) Ciceroni Academica Caerellia, quam Tullius magnopere curasse et magni fecisse videtur(4).

Haec igitur fere, bellorum civilium temporibus, foeminarum Romanarum vim, quae antea satis exigua vel nulla potius in res politicas fuerat, auxisse videntur.

Fuit autem duplicis speciei illa mulierum vis, vel directa (sit venia verbis) vel indirecta. Quum quidem, e. gr., Fulvia quaedam Curii pellex, qui Catilinae erat partium, omnia quae

(1) Vid. infra C. V. et auct. ibi cit.

(2) Vid. Cicer. in Brut. Cap. 58.

(3) Vid. Cic. ad Famil. XIII. 72.

(4) Vid. inprimis de Caerellia Aeg. Menag. Hist. mul. phil. (Edit. Wetsten.) p. 33. et ad Diog. Laert. Tom. II. pag. 495. Cf. Thomas, Ess. sur les Femm. Tom. IV. p. 41. ubi de Stoicorum philosophia.

quae de coniuratione noverat, compluribus narret, atque ita primam consilii detegendi viam Ciceroni aperiat (1), vel consulem de Manlio et Cethego, eum interficere studentibus, certiorem faciat, *directa* haec foeminae vis habenda est. *Indirecta* autem, quum Caesar parceret et Bruto parcere militibus mandaret propter Serviliam (2). De quibus si separatim agere instituamus, ne multa saepissime repetenda sint vereor; neglecta itaque illa distinctione, ad disquisitionem historicam ordine chronologico peragendam, nos conferamus.

(1) Vid. Sallust. Bell. Cat. p. 66. et 72. Florus IV. 1. Plutarch. in Cic. Tom. I. p. 868. et Appian. Bell. civ. Lib. II. p. 429. Ed. Steph.

(2) Vid. Plutarch. in Brut. Tom. I. p. 985 et sq.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE VI FOEMINARUM APUD ROMANOS IN EORUM RES POLITICAS, A PRIMO BELLO CIVILI MARIUM INTER ET SYLLAM, USQUE AD HUIUS MORTEM.

Si ferret operis nostri ratio, iucundum sane officium nobis foret, de Gracchorum matre Cornelia praemonere. Illa enim exemplum praebuisse existimetur, quantum foemina posset Romana; et ipsa Gracchorum facinora et dissidia in civitate inde orta, bellorum civilium praesagia appellari merentur: quin imo nihil, quod sanam rationem oppugnat, me affirmare existimo, dum Corneliam bellorum civilium remotissimam causam nominaverim. Semel enim Gracchorum tempore belli civilis exemplum datum erat, semel armati cives contra cives prodierant et assuefieri dissidiis civilibus Romani coeperant.

Breve tempus post Reges electos, tranquilla libertate Romani fruebantur; subinde sedi-

ditiones exortae ſunt, quae ex ipſa Senatus rectione originem duxerant. Patricii enim, populo vel plebe depreſſa, magnitudini et divitiis virorum Senatorii ordinis ſtudere videbantur. Iam ante ſeceſſionem in montem ſacrum, rumores plebs moverat, quae tamen decimo libertatis vindicatae anno facta est. A Senatu et ordine omni Senatorio plebs premi noluit, ac iure maiorem auctoritatem ſibi petiit. Tribunos ergo ſuos, invito Senatu, ſibi adſcivere cives, postquam ingenioſiſſima Menenii Agrippae oratio, animos civium, iniuriarum mole oppreſſos, ad moderamina ſapientiora reduxerat. Sed eadem illa Tribunitia poteſtas, quae quidem iura plebis acriter vindicaret, maximum ſaepe civitatis damnum evaſit (1).

Rei nostrae prorſus non convenit, tot et tanta enumerare mala, quae in civitate Romana Tribunorum plebis Senatusque disſidia genuerunt. Ut mare ventis agitatum, aggeribus imminens, victum ſaepius recedere cogitur, ſed iterato ictu, tandem triumphans per regiones late ſeſe diffundit et diu miſera devastationis vestigia relinquit; ſic et Romana libertas luctationibus plebis et Senatus defeſſa, fracta ſenſim, ſublata tan-

(1) Seditionum omnium cauſam, Tribunitiam poteſtatem existimat Florus III, 13.

tandem est. Nostrum fert officium, ut videamus, quid valuerint foeminae civilis discordiae temporibus. Prius tamen breviter de origine civilium bellorum inter Romanos nonnulla praemonenda habeo.

Iam multorum civium ſanguine maculata Roma erat, quum Patricii, imperii cupiditate, et praeſertim avaritia incitati, audacia ast proba Gracchorum facinora publica vi conſtringerent; ſed nulli huc usque cives, pesſima ambitione inſtigati, ſuam magnitudinem multorum civium caede condere ſtuduerant. „ Hoc deërat unum „ populi Romani malis, iam ut ipſe intra ſe „ parricidale bellum domi ſtringeret; in urbe „ media ac foro, quaſi arena, cives cum ci„ vibus ſuis, gladiatorio more, concurrerent (1).” Prima in civitate Romana Marius et Sylla, immani in cives crudelitate, nomina famoſa habuere; qui ante „ decora et ornamenta ſaeculi „ ſui (2)”, deinde aemulatione et invidia Romam luctu impleverunt. Huic malo invidia Patriciorum et plebeiorum anſam quoque praebuiſſe quodammodo videtur. Marius enim natus e parentibus perobſcuris (3), qui opere fa-

ci-

(1) Sunt verba Flori III, 210. init.

(2) Eiusdem eod.

(3) De Marii ſtirpe omnes conſentiunt. Plutarchus, quem ſecuti ſumus, affirmat eum γενομένον γο-

νέων

ciendo se alerent; satis rustice a matre Fulcinia educatus, cum infima plebe in pueritia rem habuerat (1): variis deinde casibus in militia, sua virtute ad summos magistratus pervenit, ita ut hominis novi honoris fastigium, magna cum invidia, Patricii adspicerent. Syllam contra e nobilissima gente Cornelia natum, libentius ideo Patres fovisse videntur. Quum de Imperatore contra invictissimum Mithridatem creando ageretur et uterque imperium ambirent, dictus Consul et Imperator Sylla est. Hinc Marii laesa ambitio, id studere coepit, quo potissimum vindictam sumeret et suo honori adderet (2). Fuit autem Marius, ut Velleii verbis utar (3), „quantum belli optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, semperque inquietus"; illiteratus et literas spernens (4) neque facundia neque opibus, quibus eo tempore imprimis studium populi parabatur,

pol-

νέων παντάπασιν ἀδόξων, αὐτουργῶν δὲ καὶ πενήτων, et sic passim apud alios, nisi excipias unum Velleii Paterculi locum, qui Hist. Rom. II. 9. *equestri* loco natum ait. Recte forsan *agresti* coniecit Lipsius. Vid. viri docti ad d. l. Velleii.

(1) Cf. Iuvenal. VIII. 245. seqq.

(2) Vid. Appian. Alex. Bell. Civ. Lib. I. pag. 383.

(3) Hist. Rom. II. 9.

(4) Vid. Plutarch. in Mar. Tom. I. pag. 406.

pollebat; ſed ipſa eius laboris asſiduitas, in bellis fortitudo, vita et animus popularis ei honores et magistratus ſummos paraverunt (1). Neque autem a veritate discesſisſe credimus affirmantes, nuptias eius cum Iulia (2), e gente Caeſarum illuſtrisſima, multum illi opitulatas fuisſe.

Iam dudum odio in Syllam flagraverat Marius, cuius originem a Iugurthae capti et a Boccho Syllae traditi honore repetendum esſe, cum Plutarcho (3) credimus. Mirandum nobis quoque non videtur, Patricios odio in Marium abiectae originis virum, qui nuperrime adhuc Conſulatum gesſerat, lubentius Iugurthae capti gloriam Syllae Patricio nobilisſimo tribuisſe; ut ita ſimul hunc honore augerent, illum imminuerent. Ipſius autem Syllae ſigillum, in quo Bocchum Iugurtham ſibi tradentem inſculpſerat, non parum Marii iram auxit. Quum vero ipſe Sylla gloriae ſuae Marium invidioſisſimum atque aemulum videret, qui grave nihil ei amplius committeret, bello Cimbrico a Conſule Mario deſcivit et alteri Catulo ſe coniunxit: cuius belli, quum Catulus maiorem gloriam tulisſet (4), no-

(1) Vid. Plutarch. in Mar. pag. 408.
(2) Vid. eod. et Vell. Pat. II.
(3) Plut. in Mar. pag. 410.
(4) Vid. id. eod. pag. 421.

novum inde invidiae calcar Marius traxit. Bocchus denique, dona multa Romam ad Capitolium ornandum mittens, auream quoque Iugurthae traditi Syllae ſtatuam addidit, quo facto culmen Marii odio quoque additum erat. Iam ad arma res ſpectare videbatur; ne autem erumperit contentio, bellum cavit Marſicum (1).

Ita res ſeſe habebant, quum belli Mithridatici Imperator crearetur; et hinc origo belli primi post Gracchos civilis repetenda videtur; hinc millia optimatium civiumque Romanorum crudeliter caeſa, hinc matrum de filiis, filiorum de patribus fletus.

Quum itaque nunc de vi foeminarum Romanarum in res politicas, quaestionem inſtituamus, ea inprimis accommodentur, quae generatim priori capite diximus. Sed et alia obſervare liceat.

Quum Marius proconſulari potestate, post Syllam, belli Mithridatici Imperator a plebe creatus esſet (2), quum paulo post a Sylla fractus (3), in exilio degens, ad ſummam miſeriam pervenisſet, quum captum eum Mintur-

(1) Id. l. l. p. 424.

(2) Per Tribunum Sulpicium. vid. Appian. Bell. Civ. Lib. I. pag. 383.

(3) Id. l. l. pag. 385.

turnenses tenerent, vitam, quin imo salutem Fanniae mulieri Romanae acceptam tulit (1). Erat toti illi regioni mandatum, ut infortunatum Consulem persequerentur captumque morti darent. Nullus autem quum adeo ferox inveneretur, qui tantae dignitatis virum Romanum, bellica fama celeberrimum, e medio tollere auderet, Senatus Minturnensis eum Fanniae tradidit; quam illum necaturam sperabant ob iniuriam sibi olim a Consule illatam (2). Sed proba mulier, nulla offensorum habita memoria, Imperatorem miserum curavit, et consolatione firmavit eius animum. Quum autem paulo post Gallus quidam, Marium se necare posse, diceret, et magistratus auctoritate caedem peracturus esset, Fanniae arte (3), Marius servatus fuga salutem habuit.

Magnum sane damnum civitati Romanae nobilis haecce foeminea virtus attulit, sed

„ *Rebus in humanis divina Prudentia ludit*".

Nostri non est, ut quaeramus, cur vixerit am-

(1) Vid. Plutarch. in Mar. p. 427. sqq.

(2) Cf. Id. l. l.

(3) Nisi *dolo* quodam usa fuerit Fannia, difficillime explicabuntur, quae de Gallo, metu perculso aufugiente narrat Plut. l. l. p. 428.

amplius bellator crudelis, cur postea Romam redux, urbem quin et totam Italiam ſummis doloribus affecerit. Horrenda quippe et ingentia mala exinde Roma tulit; neque enim Sylla, morti datus ſi fuisſet teter ſenex, tanta ſaevitia in miſerrimos egisſet Romanos, neque demonſtrasſet, civitatem Romanam ſub tyranno esſe posſe (1).

Alia etiam foemina, quamvis barbara, nonnihil ſaluti, fortunae certe Marii magis prosperae, contulit. Iunior enim Marius, postquam a patre aberraverat, benigne exceptus et cum ſuis in honore habitus est a Rege Numidiae (2), ſed ubi cum ſociis diſcedere vellet, Rex e contrario eum detinere ſtudebat, καὶ δῆλος ἦν ἐπ' οὐδενὶ χρηστῷ ποιούμενος τὴν ἀνάβολην (3). Una tamen e Regis pellicibus, ſive Marii minoris for-

(1) Non certe illud fuisſet bellum „ quod", ut verbis utar Flori, III 21. „ non civicam modo, ſed „ hostilem quoque rabiem ſupergresſum est, quum ar„ morum furor totius Italiae viribus niteretur, eo us„ que odiis ſaevientibus, donec deëſsent, qui occi„ derentur". Cf. de Sertoriano bello Syllanae proſcriptionis *hereditate* idem l. l. 22 pr.

(2) Apud Hiempſalem Marium iuniorem remanſisſe narrat Plut. in Mar. p. 429. Appian. autem l. l. p. 388. Mandresſalem dixit.

(3) Plutarch. l. l. p. l.

fortunae commiseratione, sive amore erga eum commota, viam illi ad patrem, quem in Carthaginis versari ruderibus rumor erat, aperuit.

Mala multa igitur quum uterque Marius evitasset, bona satis fortuna in Italiam venit, sibi coniunxit quotquot militum secum haberet Consul Cinna, ab Octavio expulsus Urbe, atque, praeterea multis aliis paratis copiis, eum exercitu Romam petiit: et tum ferox senex, sanguinem sitiens, immani crudelitate caedem instituit (1).

Videtur generatim affirmandum, summam Bardiaeorum (2) libidinem, qui foeminas et matronas fere omnes stuprabant, animos mulierum, in crudelem eorum magistrum, summo odio complevisse, et hinc postea Syllae partes, de quo mitiora omnia sperabantur, auxisse. Sylla autem, perfecto bello Mithridatico, solus rerum potitus, om-

(1) Inter tot a Mario interfectos bini fuere Crassi, pater et filius, cuius frater minor natu, idem ille, qui postea cum Caesare et Pompeio triumviratum iniit, a foeminis quoque per Vibium quemdam adiutus in fuga videtur. vid. Plut. in Crass. Tom. I. pag. 545.

(2) Bardiaeos vocavit Marius servos illos, qui e numero erant eorum, qui *sponte* ad illum se contulerant. vid. Plutarch. in Mar. p. 431. et 432. cf. idem in Sertor. Tom. I. p. 570. cf. Vossius, Etym. in v. Bardeacus.

omnium ſpes fefellit. Nam atroci caede plura millia civium necavit, bona eorum publicavit et tyrannus prorſus crudelisſimus evaſit, qui tantum mactare deſiit, ut ſuperesſent nonnulli quibus imperaret (1).

Nulla unquam ſupplicatione motus dirus ille Dictator, ab uxore tamen Metella ſaepius ad miſericordiam revocabatur (2). Magno cum amore usque ad extremum uxorem hancce coluit, et eius cauſa cum mitius leniusve, tum durius et crudelius egit. „ Miro", inquit Plutarchus (3), „ et inſano tenebatur (Sylla) expug„ nandarum ardore Athenarum, vel quod aemula„ tione quadam umbratilem pugnam ſuſciperet „ cum antiqua illius civitatis gloria, vel quod es-

(1) In mentem veniebant verba Furfidii (apud Florum III. 21.) admonentis, vivere aliquem debere, ut esſent, quibus imperarent.

(2) Tempore caedis Marianae Metella haec cum liberis ſuis fuga tantum ſalva esſe potuit (vid. Appian Bell. Mithr. pag. 204.), quae postea maximam ſane vim in res Romanas habuit. „ Τὴν μέντοι Μετέλλαν (inquit Plutarch. in Syll. Tom. I. p. 455.) ἐν πᾶσι θεραπεύων διετέλεσε (Sylla), ὥστε καὶ τὸν Ρωμαίων δῆμον, ὅτε τοὺς περὶ Μάριον φυγάδας ἐπεθύμει καταγαγεῖν ἀρνουμένου τοῦ Σύλλα, δεόμενον ἐπιβοήσασθαι τὴν Μετέλλαν".

(3) In Syll. pag. 459. ſub fin. Verſionis, quae Xylandr. edit. adiicitur. cf. id. p. 455.

„ esset irritatus dicteriis et scurrulitatibus, qui-
„ bus eum Metellamque assidue ex muris de-
„ ridendo et insultando exacerbavit tyrannus
„ Aristion".

Coniicimus igitur, Metellam et postea in res Syllanas vim saepius magnam habuisse; dolemus interim rerum deësse famam (1).

Quamvis Sylla iam summo polleret Dictaturae imperio, non sine anxietate quadam, alios in civitate viros valentes conspexit; et sunt qui putent, imperii Dictatoris abdicationem, quae caeteroquin explicatu difficillima videtur, ex auctoritate Cn. Pompeii indies accrescente explicandam esse: ita ut opinaretur Sylla, absolutum et tutum imperium sibi nunquam fore; qua cogitatione instigatus privatam in senectute vitam sibi desideravisset (2). Ut ut sit, certum videtur, Syllam, uti milites largitione, ita et variis artibus praepollentes viros in suas partes, quum Dictatura iam gauderet, adducere conatum esse. Huc facit res a Plutarcho tradita (3). Quippe,

(1) Non sola Metella, sed plures foeminae eiusque uxores de vi sua in Syllam periculum facere potuerunt. vid. Plutarch. l. l.

(2) Vid. Stuart, Rom. Gesch. Deel 13. bl. 343. sq. et auct. ibi cit.

(3) Liceat h. l. verba Plutarchi adiicere, quae perspi-

pe, *asſentiente uxore Metella*, Pompeio perſuaſit, ut matrimonio acciperet privignam eius, Scauri et Metellae filiam, quae quidem tunc temporis utero ferebat. Neque autem fieri potuerunt hae nuptiae, niſi uxorem Antistiam Pompeius dimitteret; illam quoque dimiſit, ſed parum laeta huius rei fuit ſequela.

In odio Caeſarem Sylla habuit variis de cauſis, praeſeriim, quia Iulius Syllae, uxorem dimittere mandanti, obſequi noluerat (1). Quum autem Sylla victor, *οὐδ' ἐλπισιν οὔδε φόβῳ*, Corneliam Cinnae filiam a Caeſare divellere potuisſet, dotem eius publicavit.

Magno ſane amoris vinculo nobilis illa pa-

tris-

ſpicue ſequelas nuptiarum Pompeii cum Aemilia exponunt. „ Ἦν (inquit in Pomp. Tom. I. pag. 623.) „ οὖν τυραννικὰ τὰ τοῦ γάμου, καὶ τοῖς Σύλλα καιροῖς μᾶλ- „ λον, ἢ τῷ Πομπηΐου βίῳ, πρέποντα, τῆς μὲν Ἀμιλίας ἀγομέ- „ νης ἐγκύμονος παρ' ἑτέρου πρὸς αὐτὸν, ἐξελαυνομένης δὲ τῆς „ Ἀντιστίας ἀτίμως καὶ οἰκτρῶς, ἅτε δὴ καὶ τοῦ πατρὸς „ ἔναγχος ἐστερημένης διὰ τὸν ἄνδρα. Κατεσφάγη γὰρ ὁ „ Ἀντέστιος ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, δοκῶν τὰ Σύλλα τηρεῖν διὰ „ Πομπήϊον. ἡ δὲ μήτηρ αὐτῆς ἐπιδοῦσα ταῦτα, προήκατο „ τὸν βίον ἑκουσίως, ὥστε καὶ τοῦτο τὸ πάθος τῇ περὶ τὸν „ γάμον ἐκεῖνον τραγῳδίᾳ προσγενέσθαι, καὶ νὴ Δία τὸ τὴν „ Αἰμιλίαν εὐθὺς διαφθαρῆναι παρὰ τῷ Πομπηΐῳ τίκτουσαν.". Cf. idem in Syll. p. 473.

(1) Vid. Plutarch in Caeſ. init. cf. etiam Vell. Pat. II. 41. et Sueton. in Iul. Caeſ. cap. 1.

trisque dissimilis filia in morum illa peste, qua vel fida coniugia rara erant, maritum sibi coniunctum tenuit, ut ne crudilissimi quidem tyranni iussum Caesarem a coniuge divelleret: et cum iam hac occasione, tum et defunctâ Corneliâ, ipse Caesar certa amoris sui integritatis documenta praebuit. Nam quum Iuliam patruam publica oratione laudavisset (1), ipsam quoque Corneliam suam funebri oratione decoravit honoravitque (2).

Quantum autem Cornelia apud maritum valuerit atque in res politicas, ex mulieris indole et Caesaris amore facile intellectu est.

Habuit autem Sylla animum Caesari ob foeminas duas infensum: nam illum odisse Marii affines nemini mirum erit (3). Plutarchus ipse, Syllae odium e propinquitate Caesaris cum Mario explicandum esse, affirmat; adiiciendum tamen huic rationi credimus, ipsum Caesaris matrimonium cum filia Cinnae. Quippe quidem Ma-

(1) Erat profecto laudatione digna mulier illa, quae magna cum moestitia et dolore Marii saevitiam viderat.

(2) Vid. Plutarch. l. l. pag. 709. et Sueton. l. l. cap. 6 cf. Thomas Ess. sur les femmes Op. Tom. IV, pag. 209. sqq.

(3) Vid. Plutarch. in Caes. prin.

Marii ſocios et propinquos aegre quum tulerit Sylla, iure quoque in Cinnae progeniem, quia infidus hic Mario ſe coniunxerat (1), animadverterit.

In percurrenda Romanorum historia hoc tempore, virum etiam obviam habemus, qui patriae amore motus ingenium exacuit ſuum, ut civium miſeriei ſolamen daret, qui, ut Gracchi quondam, a matre vidua ſummo ſtudio educatus, ad eius voluntatem in rebus gerendis ſe accommodasſe videtur, magnum nomino Sertorium (2). Antea Cinnae partibus iunctus, magna tamen cum laude ea tempestate probum ſe esſe manifestavit. Tenebat a matre virtutis praecepta, quae malum eum fieri prohibebant. Manſuetus, moderatus et clemens infortunatis opem tulit (3). Teterrima crudelitatis monſtra, Mario duce digna, Bardiaeos illos, iusto ſupplicio interfici curavit (4). Quum

(1) Vid. Plutarch. in Syll. pag. 458.

(2) De nomine et familia matris Sertorii conſtare parum certi videtur.

(3) Legatur testimonium Plutarch. de Sertorio, in vita Tom. I. pag. 570. et inprimis pag. 572. 573. et 580.

(4) Vid. Plutarch. l. l. p. 579. et id in Mar. pag. 431. et ſeq.

Quum Sylla in Italiam reversus esset, Sertorius in exercitu Consulis Scipionis erat et rebus in Urbe plane desperatis, in Hispaniam se contulit, ut miserrimis ad eum refugientibus refugium pararet, (1) omniaque, quae potuit, multum autem valebat, magnifice confecit (2). Quum per longum satis tempus omni fere Romanorum armorum potentiae restitisset, tandem bello defessus honeste in patriam redire cupiebat et ob matris amorem patriam iam diu desideraverat (3). Nam obscure vivere in Urbe praetulit summo extra patriam imperio. Maximo semper amore matrem, *a qua totus pendebat*, coluit, et mortem eius non sine gravissima moestitia tulit (4).

Interim iam naturae debitum teterrimo morbo (5) Sylla solverat privatus, iam vita defunctus ille vir, quem, magistrum trium pestiferorum vitiorum, luxuriae et avaritiae et crudelitatis vocat Cicero (6). Superstes autem illi fuit Va-

(1) Cf. Plutarch. l. l. in fin. pag. in vit. Sertor.

(2) ,, Οὐ γὰρ ἦν τότε τοῦ ἀνδρὸς οὔτε πολεμικώτερος ,, ἄλλος οὔτε ἐπιτυχέστερος". Appian. Bell. Civ. Lib. I. pag. 421.

(3) Cf. Plularch. in Sert. l. l.

(4) Cf. idem eod.

(5) Vid. Plutarch in Syll. p. 474. Nihil had de re habet Appian. Bell. Civ. Lib. I. p. 416 seq.

(6) De Finib. Bon. et Mal. I. 22. De Sylla quoque

Valeria Mesſalae filia, quam post Metellae obitum in ſenectute uxorem duxerat (2).

Est obſervatione omnino dignum, matronas Romanas magnam aromatum copiam in Syllae cadaver ingesſisſe. Sic itaque inter foeminas niger ille nonnullas habuit, quae tyrannum tantum et ſaevum honorare videbantur (3).

Varia post Dictatoris mortem fata Romanae reipublicae acciderunt, priusquam Caeſar. Pompeius et Crasſus triumviratum inirent: videamus ergo de iis, quae, hocce temporis intervallo, in civitate Romana ad foeminarum vim in res politicas pertinere videntur.

que historicus Alexandrinus Bell. Civ. Lib. I. pag. 409. πρωτος, inquit, ἐκόλασε θανατῳ προγράψαι.

(1) Vd. Plutarch. in Syll. pag. I.

(2) idem in Syll. ſub fin. vit.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DE VI FOEMINARUM APUD ROMANOS IN EORUM RES POLITICAS, A SYLLAE MORTE USQUE AD PRIMUM TRIUMVIRATUM.

Iam florente Sylla, magnam ſatis auctoritatem vindicaverat ſibi Pompeius, cuius ambitio gloriaeque cupiditas ad maiora adſpirabat. Erat et Craſſus divitiis praepollens, qui honores et magiſtratus ſummos, quos venales populus habebat, in ſe conferret et ita Pompeio aemulus evaderet (1).

Quamvis hi viri iam tunc temporis eſſent in civitate primarii, in eorum tamen contentione, an foeminarum partes nonnullae fuerint, parum conſtat. Verum paulo poſt, cum ultimum exoriretur bellum Mithridaticum, Praeciam quandam obviam habemus, quae quidem maximam vim in res Romanorum urbanas habuit; quam ut cognoscamus, paululum ad ſuperiora redeundum erit.

Et-

(1) Vid. Plutarch. in Craſſ. Tom. I. p. 546. et Appian. Bell. Civ. Lib. I. p. 426.

Etsi principes existimentur Pompeius et Crassus, Lucullus tamen haud obscurus fuit. Erat honore auctus a Sylla, qui et illi sua commentaria inscripserat (1), atque filii tutorem, praeterito Pompeio, nominaverat (2).

Non diu post Dictatoris mortem, Lucullus et Cotta Consules erant, et a multis de bello contra invictissimum Mithridatem instaurando consilia agitabantur. Interim Consules sortiebantur provincias; Gallia Comata Lucullo obtigit. Aemulus Pompeii magnitudinis, et gloriae studio flagrans aegre tulit, suam provinciam claris facinoribus nullam praebere materiem, dum Pompeius in Hispania gloriam acquirere facile posset. Urebat autem ea inprimis de causa gloria Pompeii Lucullum, quod metueret, ne *ille* cum imperio in Regem mitteretur, cuius imperii cupiditate *ipse* flagrabat (3).

Erat

(1) Erat Lucullus homo literatissimus, vid. Cicer. testimonium Acad. Quaest. IV. init.

(2) Hinc Plutarchus discordiarum exordium Pompeium inter et Lucullum repetiit; cf. praeprimis de omni hacce re auctor in Lucull. Tom. I. pag. 494.

(3) Hinc explicetur illa Luculli erga Pompeium, pecunias a Senatu petentem, obsequentia, ne ulla Pompeio in Italiam redeundi causa foret. Cf. omnino Plutarch. in Pomp. p. 628.

Erat autem in Urbe Cethegus, primas qui obtinebat apud populum partes, vir turpibus deditus voluptatibus et amoribus, atque ob vitia sua Lucullo odiosus. Sed cum tantopere Imperium concupisceret, Cethegi opera uti necesse, saltem utile videbatur. Interim moriebatur, qui praeërat Ciliciae, Octavius. Multi ad hancce provinciam adipiscendam conatus parabant; in his etiam Lucullus, ratus scilicet, illum qui Cappadociae finitimam teneret provinciam, belli Mithridatici Imperatorem delectum iri, et ad extremum, ut cum Plutarcho loquar (1), „ ἔργον οὐ σεμνὸν, οὐδ' ἐπαινετὸν, ἄλλως δ' ἀνύσιμον πρὸς τὸ τέλος ἐκ τῆς ἀνάγκης ὑπέμεινε „ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν". „ Degebat in Urbe mulier quaedam, cui Praecia nomen, forma et protervitate famosissima; quae cum publico scorto nihil praestaret modestia, eo tamen ad innatam gratiam addito, quod, qui cum ea consuetudinem habebant, opera ipsius, in amicorum conatibus promovendis, et honoribus in republica adipiscendis, utebantur, amicorum studiosa et efficax credita, plurimum potentiae sibi paraverat". — „ Postquam haec Cethegum, tum florentem et urbanas res sua voluntate moderantem in suam potestatem redegerat, atque amo-

(1) In Lucull. pag. 495.

amore eius corrupto se coniunxerat, omnis civitatis potestas ad Praeciam pervenit. Etenim, neque quidquam publice actum est absque Cethego, neque is iniussu Praeciae fecit quidquam. — Hanc ubi semel Lucullus donis et adulatione suam fecerat (ἦν δέ πού καὶ τῷ Λυκούλλῳ συμφιλοτιμουμένην ὁρᾶσθαι, μεγάς γυναικὶ σοβαρᾷ καὶ πανηγυρικῇ μισθὸς) (1) statim habuit Cethegum laudatorem, qui ei quoque Ciliciam provinciam tribuit. Hanc semel nactus „ οὐδὲν" ut ait Plutarchus (2), „ ἔτι „ Πραικίαν, οὐδὲ Κέθηγον ἔδει παρακαλεῖν, ἀλλὰ „ πάντες ὁμαλῶς ἐκείνῳ φέροντες ἐνεχείρισαν τὸν „ Μιθριδατικὸν πόλεμον, ὡς ὑφ' ἑτέρου μηδενὸς „ ἄμεινον διαπολεμηθῆναι δυνάμενον".

Quamvis itaque nihil aliud in egregio hocce de mulieris Romanae potentia exemplo effecisse Praecia videatur, nisi quod Lucullo imperium tribuerit, temporis tamen lapsu, haec ipsa res maximi momenti fuit in res Romanorum publicas. Pompeius quippe, celeriter et magna cum gloria, post Sertorianum, bello quoque Piratico confecto, tantam populi gratiam tulit, ut summa iniuria Lucullum afficere po-

(1) Erat enim ditissimus. Cf. Plut. in vit. p. 519. Plutarch. l. l. pag. 495.

(2) l. l.

populus Romanus non dubitaverit, dummodo Pompeii honores augerentur. Hoc consilio, imperium belli Mithridatici Lucullo abrogatum, et Pompeio populari viro traditum est. (1).

Haec res inprimis duorum principum virorum acerbitatem magnopere auxit, et Lucullo causam praebuisse videtur, quod Marium minime imitatus (2), a rebus publicis agendis in posterum se abstineret. Neque enim ullas partes in rebus Crassi, Caesaris et Pompeii egit, sed voluptatibus deditus, luxuriose mollem et privatam vitam traxit. Quantopere autem Lucullus faciem rerum postea gestarum mutare potuisset, cum divitiae eius affirmant, tum ingenium satis docuit (3).

Idem ille Cethegus, cuius auxilio Praeciae ope imperium contra Mithridatem nactus erat Lucullus, maximum, quod antea nemini qui-

(1) „ Ἐπεὶ (inquit Plutarch. in Luc. p. 516.) τῇ „ γε βουλῇ καὶ τοῖς ἀρίστοις ἄδικα πάσχειν ἐδόκει Λούκουλ„ λος, οὐ πολέμου διαδόχους ἀλλὰ θριάμβου λαμβανών· οὐδὲ „ τῆς στρατηγίας ἀναγκαζόμενος, ἀλλὰ τῶν ἐπάθλων τῆς στρα„ τηγίας ἐξίστασθαι καὶ παραχωρεῖν ἑτέροις. Ἔτι δὲ μᾶλλον „ ἐφανή τὸ γινόμενον τοῖς ἐκεῖ παροῦσι νεμέσητον ὄντε κ. τ. λ." Cf. id. in Pomp. p. 634.

(2) Plutarch. in Luc. p. 518.

(3) Cf. Cicer. Acad. Quaest. l. l. Plutarch. in Luc. p. 519 seq.

quidem concessum fuit, imperium maritimum M. Antonio tribuit (1).

Dedit igitur Praecia exemplum de vi foeminarum in res politicas luculentissimum, ac licet taceant historiae, nemo tamen infitias ibit, plurima et manifesta exempla nobis futura fuisse de eius et aliarum meretricum potentia, dummodo amplior rerum domesticarum Romanarum historia ad nos pervenisset. Probabile enim videtur, ad Catilinariam quoque coniurationem promovendam nonnihil valuisse eandem illam Praeciam; quippe Cethegus iste, quo usus Lucullus, idem est, de quo, priusquam morte damnaretur Catilinariarum partium socius, „ ignoscite", in Senatu ad Patres inquit Cato, „ Cethegi ado„ lescentiae, nisi *iterum* iam patriae bellum fe„ cit" (2). Neque Praecia si quidem in coniurationem Catilinariam quidquam potuerit, *sola* vim habuit: alia enim meretrix, summo illo periculo civitatem liberavit, detectis, quae de coniuratione noverat, rebus. Animis coniurato-

(1) Vid. Cicer. in Verr. Lib. II. Cap. 3. et ibi Ascon. Paed. Add. id. in Verr. Lib. III 91. — Erat M. ille Antonius Triumviri pater, homo sordidus et avarus. Periit in expeditione Cretensi.

(2) Cato apud Sallust. Bell. Cat. p. 169. ubi vid. viri docti.

torum caeterorum hinc quodammodo afflictis, Catilina solus eo acrius rem persequi conatus est; et, ut sibi omni modo socios compararet, foeminis quoque abiectissimis usus est (1). Rem omnem gravis ille, Thucydidis aemulus, Romanarum rerum scriptor princeps, Crispus Sallustius exposuit (2). „ Ea," inquit, „ tempestate (apertum quum esset Ciceroni consilium) plurimos cuiuscunque generis homines adscivisse sibi dicitur (Catilina); mulieres etiam aliquot, quae primo ingentes sumptus stupro corporis toleraverant: post, ubi aetas tantummodo quaestui, neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi, vel interficere; sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro (3) atque liberis satis fortunata fuit: litteris Graecis et Latinis docta; psallere, et „ sal-

(1) Cf. Plutarch. in Cic. pag. 866.

(2) Bell. cat. pag. 69. et seqq. Idem. l. l. p. 112. et 113. vid. viri docti ad h. l.

(3) De marito parum constare videtur, nisi fuerit D. Brutus, sed hic Catilinae partium non erat.

„ saltare elegantius, quam necesse est probae: „ multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt, „ sed ei cariora semper omnia, quam decus, „ atque pudicitia fuit: pecuniae, an famae „ minus parceret, haud facile discerneres; lu- „ bidine sic accensa, ut saepius peteret viros, „ quam peteretur; sed ea saepe antehac fidem „ prodiderat, creditum abiuraverat, caedis con- „ scia fuerat, luxuria atque inopia praeceps ab- „ ierat. Verum ingenium eius haud absurdum: „ posse versus facere; iocum movere; sermo- „ ne uti vel modesto vel molli vel procaci. „ Prorsus multae facetiae, multusque lepos in- „ erat."

Haud dubium est, quin mulier hisce faculta- tibus praedita consilio Catilinario quam maxi- me favere potuerit; et siquidem numerum talium foeminarum in suas partes traxerit pessimus con- iurationis princeps, nihil mirandum fuisset, si totam civitatem, tot etiam rerum novarum stu- diosorum ope evertisset; minimeque mirum, tam amplam, sociorum numero, coniurationem fac- tam esse, ut omnium animi formidine imple- rentur. „ Ex summa enim laetitia, atque la- „ scivia, quam diuturna quies pepererat, repen- „ te omnes tristitia invasit: festinare, trepida- „ re, neque loco, neque homini cuiquam satis „ credere: neque bellum gerere, neque pacem

„ ha-

„ habere: ſuo quisque metu pericula metiri. Ad „ hoc, *mulieres*, quibus pro reipublicae magnitudine belli timor inſolitus incesſerat, afflictare ſeſe; manus ſupplices ad coelum ten„ dere; miſerari parvos liberos; rogitare; om„ nia pavere; *ſuperbia*, *atque deliciis omisſis*, „ ſibi patriaeque diffidere" (1).

Quum autem nonnullae mulieres ad civitatis Romanae damnum contulerint multum, Fulvia quaedam contra, quae conſuetudinem habebat cum Curio, rei Catilinariae ſocio, non tantum necem a Cicerone propulit, indictis inſidiatoribus; ſed etiam omnia, quae per Curium de coniuratione noverat, Ciceroni prodidit (2). Cum Catilina quoque, Aureliae Oreſtillae uxoris conſilio, quae pesſima erat mulier (3), ſectam ſuam firmare ſtuderet, et Praeneste urbem, olim Marii iunioris arcem (4), ma-

(1) Ita Sallustius ſtatum discribit urbis Romanae, Bell. Cat. c. 87.

(2) Vid. Salluſt. Bell. Cat. 66. et 72. Florus, IV. 1. Appian. Bell. Civ. Lib. II. pag. 429. et Plutarch. in Cic. pag. 868. Cf. Conradus Quaestura pag. 128. et ſeq. Add. Middleton, Leven van Cicero door Zillesſen Tom. I. pag. 212.

(3) Vd. Salluſt. Bell. Cat. p. 36.

(4) Vd. Plutarch. in Mar. ſub fin. Cf. idem in Syll. pag. 470. et Middleton, l. l.

maximi momenti duceret, eam sibi vindicare acriter conabatur. Fulvia autem consilium turbavisse videtur; nam Cicero ea de re certior factus, Catilinae in periculo futuro refugium ademit (1).

Denique multorum et Fulviae Allobrogumque indiciis et testimoniis, vigilantia praesens magni Consulis totam coniurationem restinxit.

Maximam inde Cicero gloriam tulit, et, Româ salvâ, Pater patriae, summo honoris gratiaeque titulo, salutatus est (2). Quum autem integrum huius rei honorem soli Ciceroni tribuerimus, parum iusti in Terentiam esse videamur, quam prudenti consilio opem Tullio tulisse, ex ipsa vel mulieris indole affirmari liceret, nisi praeterea ipsius Ciceronis epistolae, nisi et historica fide scriptores affirmassent antiqui (3).

Erat

(1) Vid. Cicer. Orat. Cat. I. 3.

(2) Cf. praeter multos alios Appian. Bell. Civ. Lib. II. p. 431. in fin.

(3) Vid. Plutarch. in Cicer. pag. 870. Miraculum illud de quo Plutarchus l. l., vel ostentum potius flammae ex cinere in ara exortae, Middletono nihil aliud est, nisi dolus et res conventa inter Terentiam et Ciceronem. En ipsius verba: „ Het is „ niet onwaarschijnlijk, dat dit gewaande *Wonderver-* „ *schijnsel* ontworpen was tusschen Cicero en Teren- „ tia; wier zuster eene der *Vestaalsche Maagden* zijn- „ de,

Erat Terentia mulier haud timidi aut demissi ingenii, sed animo elato praedita, et ut ipse dixit, secundum Plutarchum (1), Cicero, „ μᾶλλον τῶν πολιτικῶν μεταλαμβάνουσα παρ' „ ἐκείνου φροντίδων, ἢ μεταδιδοῦσα τῶν οἰκεια„ κῶν (vel οἰκιακῶν) ἐκείνῳ". Sed cum iam hoc loco Terentiam verbo memoraverimus, tacenda non erit vis eius aliarumque foeminarum in ea negotia, quae maximi momenti reipublicae Romanae fuerunt, quae exilio Ciceronis ansam praebuerunt.

Quisquis Romanam historiam legerit, illi notissimum est, Clodii odium praecipuam Ciceroni

„ de, en het bestuur over de gansche plegtigheid „ hebbende, zonder achterdocht konde helpen ten „ uitvoer brengen, het geen zij heimelijk onder el„ kanderen afgesproken hadden. Want het was van „ groot belang voor Cicero, om de gemoederen van „ het volk, zoo sterk hij maar kon, eene vrees „ voor hun gevaar inteboezemen, om ze des te ge„ makkelijker te bewegen tot het goedkeuren van het „ besluit, om de zamenzweerders ter dood te bren„ gen, dat hij reeds in zijne gedachten gemaakt had". Vid. Middlet. Lev. van Cic. Tom. I. p. 250 et 251. Fuisse inter Vestales Terentiae sororem patet e Plutarch. in Cat. min. pag. 768. ubi ἐν οἷς (ἱερείαις, vestalibus scil.) Φαβία Τερεντία, ἀδελφὴ τῆς Κικέρωνος γυναικός.

(1) in Cic. l. l.

ni caufam fuisse, qua in exilium abire coactus fit. Prius autem de alio Ciceronis adverfario aliqua adnotanda in promptu funt.

Simulac Tullius gloria honoratus fumma, omniumque aestimatione ornatus, vitam privatam publicae praetulerat, invidi ftatim multi, rem, postea a Clodio confectam, movere incipiebant. Metellus inprimis Tribunus plebis Ciceroni exprobrabat, illum indicta caufa cives Romanos necasfe. Sed fummus vir pacisque amans a litibus quam maxime refugiebat. Ut itaque cum Metello in gratiam rediret foeminis quoque ufus est. Ipfe ad Tribuni fratrem Celerem „ ego cum comperisfem, fcribit (1), „ omnem fui tribunatus conatum in meam per„ niciem parare atque meditari: egi cum Clau„ dia, uxore tua, et cum vestra forore Mucia, „ cuius erga me ftudium, pro Cn. Pompeii ne„ cesfitudine, multis in rebus perfpexeram, ut „ eum ab illa iniuria deterrerent" (2). Nonnul-

(1) Vid. ad Famil. V. 2.

(2) Ex illo *multis in rebus* caet. patere videtur, faepius iam foeminarum auxilio gavifum fuisfe Ciceronem. Videntur praeterea haec ad Celerem fcripta affirmare, nihil hoc tempore, a moribus Romanorum alienum fuisfe, ut mulierum vim et auxilium viri implorarent. — Erat profecto Q. Metellus Celer Ciceroni amicisfimus, quo etiam ad Clodii iras

nulla interim evenerunt, quae et alium inimicum Ciceroni pararent, Clodium nempe, virum loco illustrisſimo natum.

Iuvenis Patricius audaci animo praeditus, Caeſaris uxorem Pompeiam amabat (1). Difficilis Clodio ad eam aditus fuisſe videtur: quippe per noctem Caeſaris, tunc temporis Praetoris, domum, ubi ſacra Bonae Deae peragebantur viris adire prohibita (2), vestitu puellari introire auſus est: iuvenilis et imberbis aetas rem patratu faciliorem reddebat. Clodio in magnis aedibus alias erraturo, ancillae cuiusdam opera erat utendum; ſed forte fortuna ab illa aberrans a Caeſaris matre Aurelia detectus est; quae, multo edito clamore, mulieres omnes et Vestales conclamavit, ut Clodium foribus eiicerent. Mox ſacrorum pollutorum Clodius pos-

iras aufugiendas uſus est. Habebat Celer Claudiam Clodii ſororem in matrimonio, quae, marito ſubita morte extincto, caedis ſuſpicione vacua non fuit. Cf. Cicero pro Coel. cap. 24.

(1) Vid. Plutarch. in Cic. p. 874 et ſeqq. Id. in Caeſ. p. 711 ſqq. Cicer. ad Att. I. 13. Dio Caſſ. Lib. XXXVII. cap. 45. pag. 139. Ed. Reimar. Cf. Sueton. in Caeſ. cap. 6. et praeprimis Aſc. Paed. Orat. pro Mil. Add. Middleton, Lev. van Cic. Tom. 1. pag. 303 et ſeqq.

(2) Conferri potest Iuvenal. VI. 339 ſeqq.

postulatus est (1); Caesar autem impudicam repudiavit uxorem. Dum causa agebatur, variis artibus et falsis testimoniis reus sese defendit; quin imo a Caesare ipso, ut Clodium sibi pararet amicissimum, purgatus est (2). Cicero autem, quamquam caeteroquin Clodio haud infensus (3), testimonium contra tulit, minus veritati studens, quam Terentiae mandato (4), quae erat irata reo, propter Clodiam sororem, quam matrimonio cum Cicerone studere suspicabatur (5). Terentia igitur, (ut cum Plutarcho loquar (6)) χαλεπὴ τὸν τρόπον οὖσα, καὶ τοῦ Κικέρωνος ἄρχουσα, παρώξυνε τῷ Κλωδίῳ συνεπιθέσθαι καὶ καταμαρτυρῆσαι. Hinc Clodius ira accensus, malum malo reddere (7), acriter et summa cum calliditate (8) contendit, an-

(1) Vid. Cicer. l. l. Ep. 13. 14. et 16.

(2) Vid. Plutarch. in Caes. p. 712. id. in Cic. p. 875.

(3) Cf. autem Conrad. Quaestur. p. 195 sqq.

(4) Vid. Plutarch. l. l. et Valer. Max. VIII. 5. 5.

(5) Cf. Cicer. ad Att. l. l. et Plutarch. l. l.

(6) In Cicer. p. 875. ubi quoque multa de Clodii turpissimis moribus atque flagitiis, quae quidem ad morum pestem comprobandam faciunt.

(7) Vid. Plutarch. in Cic. pag. 876.

(8) Cf. Plutarch. l. l. et Dio Cass. Lib. XXXVIII. Cap. 12. pag. 157.

annuentibus Caesare Pompeio et Crasso (1), qui auctoritatem Ciceronis, in dies accrescentem, minime amare videbantur. Erat quoque Caesar Ciceroni infensus omnia spernenti munera, quae a Triumviro offerebantur. Res denique omnis ad exilium Ciceronis rediit, quod maximi interfuisse civitatis, luctus fere omnium manifestavit.

Summo odio in adversarium Clodium iure postea flagrabat Tullius, qui, illum ita iudicia poenamque contemsisse, affirmat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret (2).

Quamvis itaque videatur Terentia ad exilium summi viri aliquid contulisse, hoc tamen quoque constat, illam marito semper opitulatam esse atque omnibus suis viribus eo incubuisse, ut in urbem Cicero revocaretur. Erat enim mulier, quamvis morosa (3), prudens tamen et auxi-

(1) Cf. Vell. Pat. II. 45. et Plutarch. l. l. add. Sueton. in I. Caes. c. 74. Ut absolveretur poena Clodius, Crassus, dum non valeret pecunia, certas mulieres et adolescentes, pro mercedis cumulo per noctem iudicibus tradidit. Cf. Cic. ad Att. l. 1.

(2) Vid. Cicer. pro Mil. cap. 16. Cf. de scelesto Clodio Plutarch. in Cic. p. 875. et Vell. Pat. II 45.

(3) Ex illa indole lites nonnunquam conflabat cum Quinto. fr. Cf. Cicer. ad Fam. XIV. 1.

auxilio praesens, in omnibus Ciceroni efficax. Quum non sine magno strepitu de Cicerone revocando Romae ageretur, ipsa Terentia, aliis adiuvantibus, inprimis Pisone, Quinto fratre et Attico, haud quievit. Liceat enim absque dubio hoc affirmare ex ipsius Ciceronis ad coniugem epistolis, e quibus eius erga maritum diligens patet studium. „Mihi," ad uxorem scribit Tullius (1), „mihi ante oculos dies noc-„tesque versaris. Omnes labores te excipere „video. Timeo, ut sustineas, sed video in te es-„se omnia. Quare, ut id, quod speras, et *quod* „*agis*, consequamur, servi valetudini. Ego, „ad quos scribam, nescio, nisi ad eos, qui „ad me scribunt, aut ad eos, de quibus vos ad „me aliquid scribitis". —

Quanti momenti autem reditus Ciceronis civitati Romanae fuerit, si exponere velimus, disquisitionis nostrae fines nos excesfuros vereor (2).

Florebat quoque hisce temporibus Cato, vir integritate vitae clarus, severitas dignitatem addi-

(1) Ad Fam. l. l. Ep. 2.

(2) Quamvis posterioris temporis haec omnia fuerint, origo tamen repetenda erat ex illo tempore, de quo hoc capite agebamus: itaque haec apte h. l. nobis tractari posse videbantur.

diderat; constantia erat laudabilis, modestus; non divitiis cum divite, neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse, quam videri bonus malebat. In coniurationis Catilinariae periculo fortis et patriae studiosissimus evasit. Antea, puer adhuc, avorum virtutum haud degener exstiterat (1). Parum quidem in huius gravissimi Romani viri rebus gestis de vi foeminarum liquet. Matrimonio licet habuerit duas uxores, quarum altera dubiae virtutis (2); licet infensus Metello fuerit propter mutatum eius de Lepida, a Catone adamata, ducenda consilium (3); licet impudicas habuerit sorores, et Caesarem magis oderit Serviliae causa (4); nulla tamen, quantum novimus, mulier quidquam apud Catonem valuit. Neque enim coniux, neque filia neptisque eum in affinitatem Pompeii adducere potuerunt. Quippe quidem Pompeius, Lucio Afranio consulatum deferre studens, et adversante inprimis Catone, hunc

(1) Cf. Plutarch. in Cat. min. Tom. I. pag. 759 et seq.

(2) Vid. idem l. l. p. 770.

(3) Vid. idem eod. pag. 762.

(4) Cf. Plutarch. in Brut. Tom. I. init. vit. et pag. 984. id. in Cat. min. l. l.

hunc binis matrimoniis in suam sententiam allicere conatus erat (1).

Caeterum, ut huic capiti finem imponamus, parum amplius de vi foeminarum apud Romanos in eorum res politicas, hocce temporis intervallo, constare videtur. Et quae vis earum hocce tempore fuerit, capite demonstrabitur sequente, ubi de vi foeminarum sub Triumviris primis agendum erit.

(1) Cf. Plutarch. in Cat. min. pag. 773 et seq. Singularis res de uxore Marcia Hortensio tradenda Catoni fuit. Qua de re vidd. Plutarch. h. l. p. 770. in fin. et Appian. Bell. Civ. Lib. II. pag. 490.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE VI FOEMINARUM APUD ROMANOS IN RES EORUM POLITICAS, A PRIMI TRIUMVIRATUS TEMPORE, USQUE AD CAESAREM INTERFECTUM.

Erant aemuli in civitate Crassus et Pompeius; prudens autem Caesar, illis reconciliatis (1), se in amicitiam tertium adiunxit atque ita primi evaserunt Triumviri Caesar, Pompeius et Crassus (2). Iureiurando se sibi invicem obstrinxerant, ne quidquam in civitate fieri sinerent, absque communi ipsorum consensu. Summum olim in republica honoris fastigium consulatus fuerat; sed post

(1) Iam ab eo inde tempore, quo sacrorum pollutorum reum obviam Clodium habuimus, triumviratus origo et exordium repetendum est, indeque illius belli remotissima causa repetenda est, „ quod (uti Florus ait IV. 2.) totum, qua patebat imperium, quasi „ diluvio et inflammatione corripuit."

(2) Conferri potest Sueton. in Iul. Caes. cap. 19.

post Marium et Syllam Romani didicerant, consulatum iter tantum ad magnitudinem esse; magnus autem qui haberetur, illum potentiam longe maiorem sibi quaerere.

Callidus et prudens Iulius perspectum subito tenebat, utile omnino sibi fore, Pompeio coniunctissimo uti amico (1). Noverat autem probos Iuliae suae mores, noverat ingenium eius: et apta videbatur, quae amicitiam et studium Pompeii erga Caesarem firmaret. Rerum quoque conditio matrimonium fovebat. Pompeius enim victor de bello Mithridatico in urbem redux et triumphans, uxorem Muciam repudiaverat (2), atque Iuliae amore erat captus. Filiam igitur uxorem illi Caesar dedit (3): ne autem in se Servilium Caepionem infensum redderet, cui Iulia desponsata erat, huic iterum Pompei filiam promisit (4). Eodem fere tempore ipse Calpurniam, Lucii Calpurnii Pisonis, Consulis designati, filiam duxit, ut et Calpurnium in suas partes traheret (5). Nunc autem

(1) Vid. Plutarch. in Pomp. pag. 644.

(2) Vid. eod. p. 641.

(3) Idem eod. l. l. pag. 644 et in Caes. pag. 714.

(4) Vid. loca laud.

(5) Cf. Sueton. in I. Caes. cap. 21. et Dio Cass. Lib. XL. cap. 63. pag. 261.

tem nimis manifestum erat, Caesarem per matrimonia res suas agere studuisse, quam ut Cato, indignatione motus, tacuisset: qui rem omnem contemnens, „ palam testatus est clamavitque; „ rem indignam esse, ut addiceretur nuptiarum „ lenociniis imperium, ac per mulieres mutuo „ se ad provincias, imperia, exercitus prove„ herent (1)." Habuerunt tamen per aliquod tempus (2) vim saluberrimam hae nuptiae in res Romanorum; quippe nobilis Pompeii coniux maritum et patrem caritatis vinculo diu cohibuit: illâ vero defunctâ, furor denuo belli civilis exarsit (3). Erat Iulia Pompeii amore dignissima uxor, et qui Pompeii cum Caesare amicitiam minime laudarent, eius tamen erga coniugem amorem non improbabant (4).

Haud

(1) Vid. Plutarch. in Caes. pag. 714.

(2) Hinc Cicero „ utinam," inquit, „ Pompeii! „ cum Caesare societatem aut nunquam coisses aut „ nunquam diremisses!" Phil. II. 10.

(3) Vid. Plutarch. in Pomp. p. 647. id. in Caes. p. 719. Dio Cass. Lib. XXXIX. cap. 64. p. 224. id. Lib. XL. cap. 44. p. 250. Appian. Bell. Civ. Lib. II. p. 438. Vell. Pat. II. 47. Flor. IV. 2. Val. Max. IV. 6. Seneca Cons. ad Marc. cap. 14. et Lucan. I. 114. seqq.

(5) Iuliae erga maritum amoris exemplum egregium leg. apud Plutarch. l. l. in Pomp.

Haud iniuria conferas cum Iulia Octaviam Caesaris Augusti sororem, rebus gestis, vitae conditione, virtutibus et ingenio; sed dolendum est periisse antiqua monumenta, quibus Iuliae vis in res Romanas luculentius exemplis probaretur. Nihil autem a veritate alienum nos existimare arbitror, illam, cuius laudes omnium ore ferebantur, multum Romanae civitati profuisse: affirmant rem civium luctus de morte et honores in eius sepultura (1), „ quae magno" uti inquit Valerius, „ cum totius terrarum or„ bis detrimento exspiravit." Nam mortuâ in partu Iuliâ et paucis post diebus filiolâ, Caesar et Pompeius „ *οὔτε ἐμετρίαζον, οὐδ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν· ἀλλὰ ἐπ' ἀλλήλους παρώρμηντο, πολλὰ μὲν δαπανώμενοι, πολλῷ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι κ. τ. λ.* (2), manebatque furor ille, donec Pompeius *solus* Consul crearetur.

Pugnabat hoc tempore Crassus contra Parthos, ibique cum interfectus esset (3), duo superstites triumviratus viri, palam bellum gerere civile atrocissimum acriter conabantur.

Al-

(1) Cf. Dio Cass. Lib. XXXIX. cap. 64. pag. 224.
(2) Idem Lib. XL. cap. 46. pag. 251.
(4) Vid. Plutarch. in Crass. pag. 563. et seq. et in Caes. p. 721.

Alteram quoque duxit uxorem Pompeius Corneliam, Metelli Scipionis (1) filiam, P. Crassi Marci filii viduam. Videtur illa, iam statim tantum apud maritum valuisse, ut Metellum socerum ambitus reum poena solverit; quae res gratiam Pompeii apud populum minime auxit (2).

Magna autem si fuerit Corneliae apud Pompeium auctoritas, nullo modo illud mirandum est. Quippe quidem ingenti ardore Pompeius uxorem amabat; et erat uxori quoque, ut ait Plutarchus (3), praeter iuvenilem formam, multum gratiae, „ καὶ γὰρ περὶ γράμματα καλῶς „ ἤσκητο, καὶ περὶ λύραν καὶ γεωμετρίαν· καὶ „ λόγων φιλοσόφων εἴθιστο χρησίμως ἀκούειν· καὶ „ προσῆν τούτοις ἦθος, ἀηδίας καὶ περιεργίας καθα„ ρὸν, ἃ δὴ νέαις προστρίβεται γυναιξὶ τὰ τοιαῦ„ τα μαθήματα". Acutum quoque Corneliae ingenium res omnes recte perspexisse videtur, rec-

(1) Adoptatus scil. fuit Metellus in illa familia. De Metellorum autem familia vid. Vinetus ad Eutrop. II. 24.

(2) Vid. Plutarch in Pomp. p. 649. Metellum illum hoc modo Pompeio coniunctum, Caesar postea inimicum habuit, qui una cum Catone in Africa, post Cneii magni mortem, bellum gessit. vid. Plutarch. in Cat. min. pag. 787.

(3) In Pomp. pag. 648.

recteque de rerum eventu iudicia tulisse, neque ignarum illorum fuisse, quae mariti Imperatoris essent. Nam quum magnus imperator Pompeius culpari meruerit, quod, victoria apud Dyrrachium potitus, Caesarem nullo modo persecutus fuisset, uxor Cornelia rem melius ceperat: quippe certior de victoria facta (1), hoc unum marito restare opinabatur, ut Caesarem persequeretur (2). Verum bello Pharsalico, quod reipublicae liberae interitum attulit, confecto, Pompeiique fortuna mutata, uxor Cnei necis *indirecta* forsan causa extitit. Morabatur illa Mytilenis: ubi aliena navi advectus coniux miser, qui quingentis navibus per aequor illud quondam navigaverat, uxorem fugae comitem et infortunii solatium sibi recepit (3). Incertus quo dein tenderet iter, et fato adverso afflictus, Corcyra et Africa neglectis, ubi classes et exercitus illi erant (4), maluit in Oriente a Parthis opem petere. Amici vero, iis in itinere consilio detecto, opinabantur omnes, a Parthis, nuperrime a Crasso patre et filio lacessitis,

ca-

(1) Vid. Plutarch. l. l. p. 654.

(2) Idem eod. pag. 658. sub fin.

(3) Legatur, quod habet Plutarchus colloquium Pompeium inter et Corneliam in Pomp. 659. seq.

(4) Vid. Appian. Bell. Civ. Lib. II. pag. 479.

cavendum esse, praesertim comitante Iunioris vidua (1): Aegyptum petere pluribus magis placuit, insciis, ab huius regionis incolis, annuente Ptolemaeo, miserandum Imperatorem de medio sublatum iri (2).

Inter illos, qui nobile et famosum hoc tempore nomen sibi vindicarunt, et apud quos foeminarum vis valuit, aut vim valuisse facile coniicitur, e partibus Pompeii prae aliis nominandus est Brutus. Cum iam armis et furore civili perturbaretur respublica a Caesare et Pompeio, Brutus, licet pater mandato Pompeii necatus esset, huius tamen partes fovit. Non quae ad privata, sed quae ad publica commoda spectabant, apud hominem nobilissimum valebant (3). Iustiorem quam Iulio, Cneio belli causam esse ratus, Caesaris adversarius evasit. Ast Bruto, nisi Serviliam matrem salutasset, parva pars vitae superfuisset; et nisi Serviliae amore flagrasset Caesar, numerus civium a civibus interfectorum tantopere auctus, miseriei Romanorum culmen non addidisset. Ignorasti Caesar! quum Brutum ex inimicis inter amicos reciperes, te interfectorem tuum amavisse: neque tu Servilia! filium peperisse cogitabas,

(1) Vid. Appian. l. l. pag. 480.
(2) Vid. Plutarch. l. l. pag. 661.
(3) Idem. in Brut. Tom. I. pag. 985.

bas, qui causa belli civilis atrocissimi evaderet (1).

Persuasum sibi habebat Caesar, Brutum filium esse suum, quem e Servilia susceperat: et quum ad Pharsalicam pugnam bellum cum Pompeio pervenisset, Brutum neque captum teneri, neque interfici, militibus suis mandavit (2). Pugna con-

(1) Licet enim merito opinari, nulla deinde civium discordia Romanae civitati tanta mala illata fuisse, nisi necatus esset Caesar. Vir enim egregius, fortitudinem cum literis iungens, clementia et magnanimitate laudabilis, temporibus plane conveniens, tanta iam potentia valebat, ut facile rerum arbitrium apud ipsum mansisset. Necarunt certe Brutus et Cassius et interfectores reliqui virum summum ipsorumque amicum, sed etiam tyrannum e medio sustulerunt, qui quidem talia iam perpetraverat, ut nulla amplius existeret respublica libera, sed sub tyranno essent omnia. Conferri meretur Herder Ideen. Tom. III. cap. 5. pag. 329. seq.

(2) Vid. Plutarch. l. l. p. l. et p. 986. In gratiam Serviliae ita factum fuisse a Caesare, narrat Plutarchus; neque id profecto mirandum: nam Servilia certe multum apud Caesarem valuit, inprimis cum de Bruto res esset; veruntamen videtur mihi Caesaris magnanimitas et clementia, etiam non adhortante Servilia, Bruto pepercisse. Saepius Caesarem iam benigne Brutum tolerasse constat: nimirum cum de Vettii, Pompeii interficiendi consilio (*simulato*) ad Atticum scribat Tullius (II. 24.) non nul-

confecta, Brutoque ſalvo, quam maxime laetabatur magnus ille vir, cui cum vitiis multum virtutis erat mixtum. Brutum deinde ad ſe vocavit, inter amicos tenuit et cum Caſſio honoribus auxit (1). Sed Brutus, cui inter proavos (uti ipſe ſaltem ſimulabat (2)) Lucretiae ultor et libertatis vindex; cui Catones propinqui; cui in ipſius praecordiis flagrans erga patriam amor, tyrannum ferre diu non potuit (3). Attamen aequo animo conſilium Caeſaris interficiendi concoquere haud valuit, et quum foris quietum omnino ſe eſſe ſimularet, domi anxius et perturbatus erat. Sed Porciam habebat uxorem, quae animum eius reficeret. Nobilis illa et mag-

nulla obviam habemus, quae huc ſpectare videntur. Nam quum Vettius reus a Caeſare in roſtra productus, „ illuc ”, ait Cicero, „ factus inſtitutusque veniſſet, „ primum Caepionem" (Brutum nempe ab avunculo Caepione adoptatum) „ de oratione ſua ſuſtulit, quem „ in ſenatu acerrime nominaverat; *ut appareret, noctem „ et nocturnam deprecationem interceſſiſſe*".

(1) Plutarch. l. l.

(2) An re vera e gente Iunia ortus ſit Brutus, valde dubitandum. Vid. Erneſti in Clav. Hiſtor. in v. *Brutus*.

(3) Acceſſere incitamenta populi, literas ſpargentis, in quibus, Βροῦτε καθεύδεις, καὶ οὐκ εἶ Βροῦτος ἀληθῶς, κ. τ. λ. Cf. Plutarch. in Brut. p. 988. et Dio Caſſ. Lib. XLIV. cap. 12. pag. 389.

magnanima mulier, coniurationis conſcia, tanta re dignam ſeſe praeſtitit (1); neque enim talis erat, cui Brutus dicere posſet

„ Ἱστον τ' ἠλακάτην τε καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε (2)"

verum decebat illum potius, uti fecit, Deos imprecari „ δοῦναι αὐτῷ, κατορθοῦντα τὴν πρᾶξιν, „ ἀνδρὶ Πορκίας ἀξίῳ φανῆναι (3)." Quantum autem Bruti et caeterorum coniuratorum facinus in res Romanas valuerit, tetra nobis docet ſecundi triumviratus historia. Taceo mala illa, quae bellum contra Brutum Casſiumque genuit.

Procedamus iam ad historicam disquiſitionem nostram ſub triumviris alteris; quo tempore de vi foeminarum in res politicas luculenter admodum conſtat.

(1) Plutarch. l. l. p. 989. ſeq. add. Dio Casſ. Lib. laud. cap. 13. pag. laud.

(2) Plutarch. in Brut, pag. 994. Hectoris haec verba Graecae potius, quam Romanae huius temporis matronae conveniunt.

(3) Plutarch. l. l. p. 990.

CAPUT QUINTUM.

DE VI FOEMINARUM APUD ROMANOS IN EORUM RES POLITICAS, A CAESARE INTERFECTO USQUE AD AUGUSTUM IMPERATOREM.

M. Antonius iam florente Caesare primarius in civitate vir, Lepidus, et mox Caesaris adoptatus filius Octavius, post Iulium interfectum, principes exstiterunt. Erat Octavius summa cura a matre Attia (1) educatus viduâ, et literarum peritus. Mortuo Caesare, statim Apolloniâ Romam tendit, ut Iulii heredem sese ferret, necem ulcisceretur et mandata exsequeretur (2). Haec res autem exordium et origo novi belli civilis fuit (3). Propter Caesaris hereditatem et

(1) Vid. Sueton in Aug. cap. 4. cf. Appian. Bell. Civ. Lib. III. pag. 532. — In rebus suis agendis Octavianum iuvenem saepius matris consilio usum fuisse, luculenter apparet ex Appian. l. l. et p. l. et p. 534.

(2) Vid. Plutarch. in Anton. Tom. I. pag. 922. et 923.

(3) Sueton. l. l. cap. 10.

et coniurationis suspicionem cum Antonio mox inimicitias exercebat Octavianus (1), dum Lepidus Antonio coniunctissimus erat (2). Post unam alteramve pugnam conventum tamen inter illos est, multorum eorumque Optimatium suasu: et tum quidem triumviri primum fidem sibi invicem dixerunt; sed, qua horret natura humana crudelitate, caedes caedibus inter se compensarunt. Multum autem militum hoc foedus iniri intererat; quo etiam factum est, ut triumvirorum amicitiam firmari matrimonio cuperent: hoc consilio Octavianus Clodiam Fulviae, tunc temporis Marci uxoris, filiam duxit (3). Sed cum fusius de Fulvia erit agendum, missis Octaviano et Lepido, de collega primum videamus.

Filiam Caii Antonii, in consulatu Ciceronis collegae, uxorem primam habuit Marcus, ob cuius a Dolabella violatae pudicitiae suspicionem, cum, Caesare Dictatore, Magister equitum esset, partes in civitate fovisse videtur, quas ex animi sententia oppugnare maluisset (4). Repudiata dein uxore, Fulviam in ma-

(1) Vid. Plutarch. l. l.

(2) Idem eod. pag. 923.

(3) Vid. Plutarch. l. l. p. 924. et Dio Cass. Lib. XLVI. cap. 56. pag. 490. cf. Vell. Pat. II. 65. et Sueton. in Aug. cap. 62.

(4) Vid. omnino Plutarch. in Ant. p. 919.

matrimonio sumpsit, quae nupta prius Clodio et postea Curioni fuerat, „, γυναιον, testimonio „ Plutarchi (1), οὐ ταλασίαν, οὐδὲ οἰκουρίαν „ φρονοῦν, οὐδὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου κρατεῖν ἀξιοῦν, ἀλ- „ λὰ ἄρχοντος ἄρχειν, καὶ στρατηγοῦντος στρατη- „ γεῖν βουλόμενον." Neque a ioco elegans ille auctor se abstinere potuit, quippe „ Κλεοπά- „ τραν" pergit „ διδασκάλια Φουλβίᾳ τῆς Ἀν- „ τωνίου γυναικοκρατίας ὀφείλειν, πολὺν χειροήθη „ καὶ πεπαιδαγωγημένον ἀπ' ἀρχῆς ἀκροᾶσθαι „ γυναικῶν, παραλαβοῦσαν αὐτόν (2)." Studebat autem ipse Triumvir coniugem variis artibus mitiorem reddere, quod tamen parum prospere illi cessisse, mox apparebit.

Sed ut integram mulieris indolem cognoscamus, quae in historia Romana nomen satis famosum sibi comparavit, parumper ad superiora revertendum erit.

Quum atrocem Clodium Milo interfecisset, Fulvia mariti necis acerrima exstitit ultrix. Nam ubi cadaver vesperâ Romam perlatum esset, et infima plebs ac servorum maxima turba lugentes circum corpus, in atrio domus positum, adstarent; Fulvia invidiam facti augebat,

(1) l. l. p. 920. cf. id. eod. p. 929. et Florus IV. 5.

(2) Plutarch. l. l. pag. 920.

bat, quae cum effusa lamentatione eius vulnera ostentabat: quo facto, ortis inter plebem rumoribus, magna populi caterva in foro per noctem degit (1). Sed quum interfectoris Milonis caussa ageretur, ipsa Fulvia et Clodii socrus gemitu et fletu suo magnopere circumstantium animos commoverunt (2); tantoque metu perculsus fuit Cicero, ut ne auderet quidem effari, quae vellet. Hoc modo mariti necem ulcisci conata est.

Postea nuptiis Antonio iuncta, in Triumvirorum proscriptionibus sese eius indoles atra explicuit. Nam ipsa multos, Romanos quoque cives, marito suo saepius vix vel nequaquam cognitos, necari curavit (3). Silentio eius in Ciceronis cadavere crudelitatem obtegere malim (4). Alia etiam occasione mores eius perspici potuerunt; quippe cum Triumviri, pecuniâ, licet iam opibus foedissimo modo cumu-

(1) Vid. Ascon. Paed. in Arg. Orat. pro Mil. Cf. Appian. Bell. Civ. Lib. II. pag. 439.

(2) Vid. Ascon. Paed. l. l. sub fin. arg.

(3) Vid. Dio Cass. Lib XLVII. cap. 8. pag. 496.

(4) Vid. Dio Cass. l. l. cap. l. pag. 497. Fulvia certe Ciceronis morti multum conduxit, Antoniumque (si aliter instigatione opus esset) instigavit. Sed et alia Antonii in Ciceronem invidiae causa fuit, quae a foemina repetenda est. Vid. Plut. in Ant. init.

mulatis, indigentes, matronas ditiores numero mille quadringentas pecunia mulctarent, quae in sumptus belli impenderetur, omnesque statim adirent Triumvirorum cognatas, ut deprecatrices haberent, laudabilis Octavia Octaviani soror, et mitis mater Antonii (1) faciles sese praestiterunt; Fulvia autem arroganter mulieres supplices foribus expulit (2).

Hoc loco non possum, quin Hortensiam verbo memorem, mulierem eloquentiae laude et animi fortitudine celeberrimam, quae mulierum causam apud Triumviros feliciter dixit (3). Repraesentata enim patris celeberrimi Oratoris facundia (4) impetravit, ut maior pars imperatae pecuniae foeminis remitteretur: „ revixit tum," inquit Valerius Maximus (5) „ muliebri stirpe „ Q. Hortensius verbisque filiae asspiravit: cu„ ius si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, „ Hortensianae eloquentiae tanta hereditas una „ foe-

(1) Iulia nempe, de qua vid. disq. nostrae pag. 98.

(2) Vid. Appian. Bell. Civ. Lib. IV. p. 607. et 638.

(3) Leg. eius Orat. ad. Triumv. ap. Appian. l. l. p. 608 et 609.

(4) Vid. de Hortensio Cicer. in Brut. 88. et Luzac, Diss. Inaug. de Hortensio Cicer. aemulo. L. B. 1810.

(5) VIII. 3. 3.

„ foeminae actione abſciſſa non eſſet". Unica igitur mulier gloriari potuit, ſe uno eodemque die, viris praebuiſſe audentiae, foeminis eloquentiae, et tyrannis virtutis exemplum (1).

Duo deinde Triumviri, Lepido Romae relicto, in Macedoniam Bruto Caſſioque arma illaturi, profecti ſunt, belloque confecto, cuius praecipua gloria Antonio tribuenda videtur, aegrotante Octaviano (2), hic Romam tendit, ille in Orientem deflexit; ubi, maximo civitatis Romanae damno, Cleopatrae amore corruptus eſt. Sed miſſam faciamus, quae Romana non erat mulier, reginam, ut ad Fulviam Romae imperantem redeat disquiſitio. Plurimorum, quae nobis de Fulvia reſtant, accuratam notitiam Dioni inprimis Caſſio debemus (3).

Erat Romae ſparſus rumor, Octavianum in Macedonia obiiſſe. Variae inde oriebantur animorum commotiones; erat nonnullis id gratum, plurimi autem iniquo animo rumorem audiebant, cum

(1) Cf. Thomas, Eſſ. ſur les femm. Tom. IV. pag. 208.

(2) Vid. Appian. Bell. Civ. Lib. V. p. 677. cf. Plutarch. in Anton. pag. 925. — Magnus ſane Imperator erat, ipſo Caeſare teſte, Antonius. Pugn Pharſalicâ Iulius ſiniſtro cornu eum praefecit. vid. Plutarch. in Ant. p. 919.

(3) Lib. XLVIII. pag. 529 et ſeqq.

eum de nova rerum converſione nihil boni ſibi augurarentur. Interim ipſe Caeſar Romam properabat, ne, languente Lepido, tumultus concitarentur. Erant Conſules frater Antonii Lucius et P. Servilius Iſauricus, vel potius tenebant hi conſulum inſignia, dum imperium apud Fulviam et Octavianum Romam reducem esſet. Fulvia autem iam ante adventum Caeſaris, ignavum Lepidum ſpernens, rerum gubernacula ſumpſerat; et adeo rebus ſuis erat intenta, ut neque Senatus, neque populus praeter illam de aliquo negotio ſtatuere auderet.

Gesſerat Conſul Lucius paucula armis contra populos nonnullos Alpinos, et Romam redux triumphi honorem petebat. Sed Fulvia adverſante, nemo concesſit: annuente, omnes decrevere; ita ut „ τῷ λογῷ", inquit Dio (1) „ τὸν Ἀντώνιον, καθ᾽ ὧνπερ κεκρατηκέναι ἔλεγεν" (nihil enim triumpho dignum gesſerat) „ τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ τὴν Φουλόυϊαν, καὶ τιμηθῆναι καὶ πομπεῦσαι". Haec quum agebantur, Romam venit Octavianus.

A rebus gerendis, animi infirmitatis cauſa ſe abſtinuerat Lepidus, Caeſar autem eo acrius negotia agitabat, et Fulvia ob propinquitatem cum eo, parum amplius movebat, neque Lucium agere quidquam volebat. Exorta tamen de agro-

rum

(1) l. l. Cap. 4. p. 530.

rum divisione rixa, ad bellum mox apertum Fulviam inter et Octavianum res spectabat (1). Multa, ut Caesari adversaretur, Fulviam propulsabant. Callidum mulieris ingenium persuasum sibi habebat, Octavianum, remotis periculis praesentibus, omnem militum gratiam in se collaturum esse, agris nempe inter illos divisis, atque ita facillime, ut Lepido, ita M. Antonio potentiorem futurum. Postulat igitur Fulvia, ut pars militum, qui imperatore marito militaverant, fratri eius Lucio traderetur: Caesar, iure milites a se retineri, contendit. Quum autem verbis nihil proficeret Fulvia, primum turpissima arte (2) deinde vi usa est. Hinc Octavianus, Fulviae mores detestatus, uxorem Clodiam *intactam* remisit (3). Hoc facto, concordia inter Triumvirum et Fulviam prorsus dissoluta est. Tum Marci coniux et frater, collega languescente, iunctis viribus id studuerunt, quo damnum Octaviano potissimum adferrent. Ad eos statim callida mulier sese conferre optimum existimabat, qui animos in Caesarem propter possessiones ademtas infensos habebant. Hos in-

(1) Vid. praeter Dionem l. l. Appian. Bell. Civ. Lib. V. p. 679. et p. 682.

(2) Cf. Martial. Ep. XI. 20.

(3) Vd. Sueton. in Aug. cap. 62.

inter ſe coniunxit ſibique conciliavit et his quoque opera ſua praeſens fuit: effecit autem, ut, qui Caeſarem metuisſent, adepti patronos Fulviam et Lucium, animum mutarent, neque de agris ſuis cuiquam cederent. Erat interim a muliere provida cautum, ne Octaviani militibus adverſariis uteretur, demonſtrando, nihil agrorum diviſione opus esſe, victorum populorum bona ſufficere, pecunias praeterea largiendo, affirmando denique de praeda ex Aſiae regionibus, ubi maritus, multa illos ſperare poſſe. Sed quid multa? Variis modis Octavianum plane ad anguſtias redegit, qui, modo ob populi, modo ob militum ſtudia, male audiens (1), nihil proficiebat; ſed in dies odio populi in milites, militum in cives adcrescente, pacem componere cum Fulvia et Lucio ſtudebat. Per ſuos autem, de conciliatione nihil procedens, ad milites veteranos confugit, ut illorum ope in componenda pace uteretur. Hinc Fulvia et Conſul audaciores, magis palam omnes qui agros amiſerant, ſibi adiunxerunt. Postremo ſuos omnes in agmen unum cogebat Lucius; dum Fulvia, urbe Praeneste in ſuas partes adduc-

(1) Fulviae, conſilium, quo milites ab Octaviano abalienaret, recte cesſisſe, Nonius teſtatur necatus: qua de re vid. Appian. Bell. Civ. Lib. V. pag. 680.

ducta, Senatores ibi multos et equites sibi devinciebat. Cum his de rebus gerendis consilium inibat, et gladio cincta tesseram saepius militibus dabat concionemque apud illos habebat. Iteratis vicibus reconciliationi frustra iam studuerat Octavianus, missis etiam Senatorii ordinis legatis, cum tandem litis arbitri veterani milites dicti sint. Gabios convenirent Caesar, Fulvia et Lucius (1): promptum sese exhibuit Caesar, neque adfuere tamen Marci frater (2) et uxor. Absentibus damnatis, Caesaris caussam Veterani foverunt (3). Bellum iam ab utraque parte, omni conatu, conflatis undique copiis, parabatur. Interim, oppugnante Caesare Sentinates, Urbem repente superveniens Lucius cepit (4). Hac re cognita, Octavianus, iratus Lepido, cui custodia Romae erat mandata, ad urbem properavit: Lucius autem eum non exspectavit; sed Roma exivit atque in Galliam deflexit.

Verum neque Fulviae, neque Antonio res pro-

(1) Vid. Dio Cass. Lib. l. cap. 12. pag. 534.

(2) Cf. Appian. Bell. Civ. l. 1 pag. 684. Refert historicus Alexandrinus, Lucium Gabios tendentem propter insidias Octaviani a proposito destitisse.

(3) Vid. Dio l. l. pag. 535.

(4) Vid. Dio. l. l. et Appian. l. l. pag. 688.

prospere cesserunt (1) et eo tandem res pervenit, ut capta urbe Perusia, Fulvia cum liberis suis ad maritum aufugeret (2), quo in itinere Sicyone morbo consumta obiit (3).

Haec omnia dum fiebant, M. Antonius vitam mollem, nugis et voluptatibus deditam, apud Aegyptorum Reginam trahebat (4): quae abiecta vivendi ratio Fulviae causam praebuerat, ut tantos rumores, tanta dissidia, tanta mala agitaret. Opinabatur enim, nec immerito, si rixam Octavianum inter et maritum moveret, Antonium, urgente necessitate, Cleopatram relicturum esse (5). Opinio quoque eam non fefellit, attamen serius e somno tandem surrexit Antonius. Metus primum eum excitaverat, Labieno cum Parthis ingruente: et in itinere literis Fulviae, lamentationum plenis, acceptis, ver-

(1) Vid. Dio l. l. cap. 15. p. 537. cf. Appian. l. l. p. 686. ubi de proeliis antea contra Caesarem gestis.

(2) In itinere Sextio cuidam Africam invadendam suasit; rebus autem male gestis, Sextius ille parum effecisse videtur. Vid. Dio l. l. cap. 22. pag. 542.

(3) Vid. Plutarch. in Anton. pag. 929. et Dio l. l. cap. 28. pag. 546.

(4) De amoribus Antonii et Cleopatrae vid. praeter alios Plutarch. in vit. p. 928. seq.

(5) Plutarch. l. l. p. 229. et Dio Cass. l. l. pag. 547.

versus Italiam sese convertit (1) atque, Fulvia obviam habita, cum ea collucutus est (2) et arma Caesari intulit. Mortua autem breve post uxore, pacem statim cum Caesare fecit (3): quippe Octavianus se in Antonio nihil culpandum habere, sed Fulviam bellum movisse, profitebatur.

Tantum igitur unius foeminae Romanae vis potuit, immo dicam trium foeminarum: quis enim Cleopatram excipiat vel quis de Glaphyra non cogitet? Verum si in Fulvia, cui nihil muliebre praeter corpus (4), virtus haesisset, Romani infelices illam laudibus in coelum certe tulissent, quippe quidem ingenium eius aptum erat, quo mala multa in civitate sanaret.

Defuncta Fulvia paceque inter Caesarem et Antonium composita, tempus iam aderat, quo Octavia, illa diversae plane indolis matrona, prodiret. Habebat hanc Caesar sororem natu maiorem (5), Marcelli viduam egregiam, quam et maximi ob virtutes faciebat et fraterno amore ama-

(1) Plutarch. l. l.

(2) Cf. Dio l. l. sub. fin. p. 546. add. Appian. Bell. Civ. Lib. V. p. 701.

(3) Cf. Appian. l. l. p. 706.

(4) Ita Vell. Pat. Hist. Rom. II. 74. 3.

(5) Vid. Plutarch. in Ant. pag. 929.

amabat atque honorabat (1). Erat Octavia per Urbem celeberrima, non tantum forma, ſed etiam morum gravitate, integritate vitae, atque animo ſapienti. Haec ut Antonio nuberet, omnes fere cupiebant, ut vinculum amicitiae inter Triumviros binos exstaret firmisſimum (2).

Agebat illa post Marcelli mortem vitam quietam, nullis intentam rebus publicis, ſed educationi liberorum dicatam, neque ſecundi matrimonii deſiderio tenebatur, atque amavisſet in ſepulcro inſcriptionem:

„ *In lapide hoc uni nupta fuisſe legar* (3)".

Fratre tamen Octaviano ſuadente et rogante, illa annuit, patriae fratrisque amore ducta, atque cum Antonio nuptias iniit. Noverat procul dubio Octavia, quae de Antonii et Cleopatrae amoribus ferebantur, ſed publicam ſalutem privata fortuna antiquiorem habuit. Erat illi ſuave et iucundum, ſi civitati Romanae prodesſet ſervando concordiam inter fratrem et maritum. Matrimonio igitur magna cum omnium laetitia con-

(3) Cf. Dio Casſ. Lib. XLIX. cap. 38. pag. 596. et id. Lib. LIV. cap. 35. pag. 766.

(4) Cf. praeter Plutarch. l. l. Appian. Bell. Civ. Lib. V. pag. 709.

(3) Propert. IV. 12. 36. Conferri potest d'Arneau de la vie priv. des Rom. ch. 5. p. 365.

contracto, Athenas cum marito petiit (1) ibique per aliquod tempus cum coniuge morabatur, atque in Graecia remansisse videtur, quum Antonius iterum in Orientem rediret (2),

Sed brevi tempore post novae contentiones inter Triumviros duos exortae sunt. Antonius certe cum trecentis navibus contra Caesarem in Italiam navigavit. In itinere Tarentum appulsus, ibi uxorem Octaviam obviam habuit. Proba mulier, varias novi belli civilis metuens calamitates, maritum exoravit, ut ipsam de pace ad fratrem mitteret (3). Quo facto, adiuvantibus Maecenate et Agrippa, amicis suis, Caesarem obtestata est, ne ex beatissima muliere miserrimam se fieri sineret „ *νῦν μὲν γὰρ ἅπαντα ἀνθρώπους εἰς* „ *αὐτὴν ἀποβλέπειν, αὐτοκρατόρων δυοῖν, τοῦ μὲν* „ *γυναῖκα, τοῦ δ' ἀδελφὴν οὖσαν* „ *Εἰ τὰ* „ „ *χείρω κρατήσει, ἔφη, καὶ γένοιτο πόλεμος,* „ „ *ὑμῶν μὲν ἄδηλον ὅτῳ κρατεῖν ἢ κρατεῖσθαι,* „ „ *πέπρωται, τὰ ἐμὰ δ' ἀμφοτέρως ἄθλια.*" " (4) Fractus hisce Caesar, ipse Tarentum animo ad pacem prono venit, ubi praesens intuebatur turba „ *θέαμα κάλλιστον* —— *πολὺν μὲν ἐκ γῆς* „ *στρα-*

(1) Cf. Plutarch. in Ant. pag. 931. praepr. autem l. l. p. 942.

(2) Cf. Appian. Bell. Civ. Lib. V. pag. 716.

(3) Cf. praeter alios Plutarch. l. l. pag. 931.

(4) Plutarch. l. l. et seq.

„ στρατὸν ἡσυχάζοντα, πολλὰς δὲ ναῦς ἀτρέμα „ πρὸς τοῖς αἰγιαλοῖς ἐχούσας, αὐτῶν δὲ (Antonii „ nempe et Octaviani) καὶ φίλων ἀπαντή„ σεις καὶ φιλοφροσύνας."

Paci igitur facta, discesſere Imperatores: in Siciliam Caeſar, in Syriam revertebatur Antonius; ubi iterum amore Cleopatrae, gravi illo malo, corruptus est. Ab eo inde principio coepit, Romanas provincias Cleopatrae largiendo, iram populi Romani in ſe convertere (1).

Octavia rurſus omnia tentare cupiens, quibus maritum ſibi devinciret, et duos Triumviros pace coniunctos teneret, ad Antonium navigavit, annuente Octaviano; non in gratiam ſororis dilectae, ſed ut, illâ ab Antonio iniurioſe ſpretâ, ipſi honestior belli cauſa foret.

Ut Octavia Athenas pervenit, literas ibi ab Antonio misſas invenit, ſibi mandantes, ut Athenis ſubſisteret. Dona autem multa ſecum Antonio offerenda attulerat, et quamquam magna moestitia, magnoque dolore literis acceptis affecta esſet, per epistolam tamen maritum percontata est, quo vellet, mitterentur vestes multae militares, equi, pecuniae et duo millia militum, quae omnia Antonio dono offerebat.

Cleopatra hinc metuens, ne tanta magnanimitate, tan-

(1) Vid. praeprimis Plutarch. l. l. p. 932.

tanta benignitate, tanta virtute Antonius moveretur, omni arte efficere ſtuduit, ut ſibi Antonium devinctisſimum teneret; quod bene illi cesſit (1).

Tum Caeſar, Octaviam magna contumelia affectam existimans, illam Athenis reverſam, deſerta Antonii domo, ſeorſim habitare iusſit; ſed illa mariti domo non excesſuram profesſa, fratrem praeterea, tanta eius erat miranda magnanimitas, precata est: „ εἰ μὴ δι' „ ἑτέρας αἰτίας ἔγνωκε πολεμεῖν Ἀντωνίῳ, „ παρεκάλει τὰ καθ' ἑαυτὴν ἐᾷν· ὡς οὐδ' ἀκοῦσαι „ καλὸν, εἰ τῶν μεγίστων αὐτοκρατόρων, ὁ μὲν δι' „ ἔρωτα γυναικὸς, ὁ δὲ διὰ ζηλοτυπίαν, εἰς ἐμφύλιον „ πόλεμον Ῥωμαίους κατέστησε" (2). Nunquam profecto deſtitit nobilis matrona Antonio favere; liberos eius e Fulvia natos cum ſuis honeste et liberaliter (3) educavit, et, cum de rebus ſuis Romam legatos miſisſet Antonius, uxor cum fratris, tum ipſa aliorum ministerio id egit, ut mariti res curarentur. "Ἄκουσα δ' ἔβλαπτε (inquit Plutarchus, quod haud parum Octaviae honori est (4)) διὰ „ τούτων Ἀντώνιον· ἐμισεῖτο γὰρ ἀδικῶν γυναῖκα „ τοι

(1) Vid. praeprimis Plutarch. in Anton. pag. 941.

(2) id. eod. pag. 940. ſub fin.

(3) Καλῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς inquit Plutarch. pag. 941 init.

(4) Plut. l. l.

„ τοιαύτην." Neque, Caesare contra Antonium bellum parante, quiete omnia Romae peragebantur. Habebat Triumvir Marcus multos suae partis, et augebat horum numerum et potentiam Octavia, ita ut in Senatu graviores interdum moverentur rixae (1).

Ad bellum decernendum contra Antonium, res tandem ab Octaviano perducta est; quod tamen ab utraque parte eâdem ἐνεργείᾳ non parabatur; nam libidine immersus Antonius languebat. Sed Cleopatra, ubi noverat, Octaviam iterum mariti defensioni studere, metuens ne tandem summa bonitate victus adulter ad meliorem animum rediret, ipsa Antonium ad bellum comparandum suscitavit et comes illi adstitit (2). Effecit praeterea Regina crudelis, ut saevo iussu Antonius Octaviae doloribus culmen adderet. Quippe quidem tantum apud ferocem Marcum valuit, ut vel ille Romam miserit, qui uxorem domo sua eiicerent (3). Miseranda mulier abiit cum omnibus Antonii libe-

(1) Dio Cass. Lib. L. cap. 2. pag. 604 et 605.

(2) Vid. Plutarch. in Ant. pag. 941.

(3) Vid. Plutarch. l. l. pag. 942. Narrat Dio, quod eodem redit, Antonium repudiasse Octaviam Lib. L. cap. 3. pag. 605. cf. Caesaris Oratio ad exercitum apud Dion. l. l. pag. 622. seq.

beris, „ κλαίουσα δὲ καὶ δυσφοροῦσα, εἰ δόξῃ μιὰ „ τῶν αἰτιῶν τοῦ πολέμου καὶ αὐτὴ γεγονέναι. Ῥω- „ μαῖοι δ' ᾤκτειρον οὐκ ἐκείνην, ἀλλὰ Ἀντώνιον, „ καὶ μᾶλλον οἱ Κλεοπάτραν ἑωρακότες, οὔτε κάλ- „ λει τῆς Ὀκταβιάς, οὔτε ὥρᾳ διαφέρουσαν." (1)

Quum igitur de binis Antonii uxoribus multa facta memoraverimus, de matre eius haud omnino tacendum est. Nihil unquam benigne egit Triumvir Marcus, uti ait Dio (2) „ πλήνγε „ ὅτι τὸν θεῖον, πολλὰ τῆς μητρὸς τῆς ἑαυτοῦ „ τῆς Ἰουλίας ἱκετευσάσης, ἀφῆκεν." Erat autem, teste Plutarcho (3), Iulia e gente Caesarum orta, virtutis et pudicitiae laude praestantissima matrona, quae, cum Lucium Caesarem proscripsisset Antonius, fratrem ad illam fugientem audacter primo defendit, insidiatoresque propulit (4), sed deinde tantum apud filium potuit, ut a nece avunculi abstinuerit. Quum postea, Fulvia et Lucio Antonio ab Octaviano Caesare bello oppressis, captis urbe Perusia multisque Italiae urbibus, complures ex Italia aufugerent, nonnulli ad Antonium, alii ad Sextum Pompeium, qui Siciliam adhuc tenebat, ten-

(1) Plutarch. l. l. pag. 942.
(2) Lib. XLVII. cap. 8. in fin. pag. 497.
(3) in Anton. pag. 916.
(4) Vid. Plutarch. in Ant. pag. 9:4.

tendentes, Iulia quoque deserta patria in Siciliam abiit ad Pompeium, et benigne ab illo accepta est. Illa deinde reconciliationi inter Pompeium, Caesarem et Antonium, apud filium studuit (1).

Exstitit etiam foemina magni in historia Romana nominis, Livia Drusilla, quae Octaviano nupta, multum profecto apud maritum valuerit, quippe qui eius amore captus cum Scribonia uxore divortium fecerat (2). Erat certe belli civilis tempore, ante imperium fundatum, eadem forma, gratia atque ingenio insignis, quibus postea tantam in Augustum et in res Romanas vim sibi adscivit. Parum autem de illius vi bellorum civilium temporibus annotaverunt scriptores; et nobis tantum coniicere licet, illam tunc temporis magna iam potentia in civitate Romana inclaruisse.

Fusius haec omnia tractari possint; sed tandem disquisitioni finem imponamus. Satis iam ad-

(1) Cf. Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 15. pag. 537. ibique Fabric. et ab eo cit. auct.

(2) Vid. Dio Cass. l. l. cap. 34. pag. 551. — Cf. Idem. l. l. cap. 43. pag. 559. et seqq. et cap. 44.

adduximus exemplorum, quae foeminarum vim apud Romanos in res eorum politicas, bellorum civilium temporibus, explicare videntur; et quamvis nequaquam haec recte a nobis fuerint tractata, in magnis *voluisse* sat est.

COR-

CORNELII ANNE DEN TEX,

TILBURGENSIS,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT.

ET IUR. CAND.

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM

AB ORDINE IURISCONSULTORUM

PROPOSITAM,

„ *Quaeritur, an ipſa natura obligationis civilis liberam e patria migrationem civi permittat? ſi vulgo permittat, quae ſint exceptiones, quibus facultas illa migrandi coarctetur, ex Iure Publico vel communi omnium Europae populorum, vel ſingulari huius illiusve imperii, repetendae? Quae porro praecipuae ſint causſae impeditae illius libertatis? an tandem omnia iura et officia mutua, et civis, qui iure ſuo migravit, et patriae, quam dereliquit, post migrationem penitus intereant?*"

QUAE PRAEMIUM REPORTAVIT.

O iura praeclara atque divinitus iam inde a principio Romani nominis a maioribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. Haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quemque iuris et retinendi et dimittendi esse dominum.

CICERO pro Balbo.

* * *

Habet hanc sibi peculiarem iuris publici tractatio laudem, ut non huius illiusve hominis, non paucorum quorundam commoda et iura inde definiantur, verum ut universae societatis humanae, omnium omnino civitatum, universorum etiam civium commoda, officia, iura, obligationes, eodem hoc iure publico contineantur. Ex hoc fonte petenda sunt omnis libertatis, felicitatis, salutis nostrae fundamenta. Veruntamen ea est naturae nostrae imbecillitas, ut saepe naturalia iuris principia non pariter omnes ratione atque iudicio assequi possimus. Ita factum, ut in

in iis etiam rebus definiendis, a quibus libertatis civilis pendeat conservatio et tutela, saepe alii aliud sentiant. Et sane, in ea tractanda quaestione, quam explicare constituimus, in alia omnia viri docti, cum veteres, tum recentiores abierunt, quo magis nobis annitendum erit, ut, quoad eius fieri possit, certis principiis sententia nostra nitatur.

Ex antiquis Cicero liberam migrandi facultatem „ firmissimum vocat libertatis fundamentum (1)". Ex recentioribus Bynkershoekius affirmare non dubitavit, ubivis civibus e civitate licere discedere, „ ubi civitas carcer non est (2)". Eodem tendit Burlamacquii (3) sententia: „ *c'est* „ *un droit naturel à tous les peuples libres, que* „ *chacun a la liberté de se retirer ailleurs, s'il* „ *le juge convenable*". Praeclara quoque verba sunt in opere *Principes de la législation Universelle* (4): „ *Une loi, qui nous défendroit de* „ *sortir d'un pays, où le hasard nous a placés,* „ *attaquerait directement la liberté de l'homme.* „ *Une défence semblable ne peut être préscrite,* „ *qu'à*

(1) Cic. pro Balboc. 13.

(2) Quaest. Iur. Publ. I. c. 22.

(3) *Droit Politique* P. II. c. 5. § 13. cf. de Felice *Droit de la Nat. et des Gens* Tom. III. p. 247.

(4) Tom. I. p. 174. cf. Tom. II. p. 247.

„ *qu'à des esclaves, ou à des ſerfs attachés à la* „ *glèbe, et il est contre la nature d'y asſujettir* „ *des citoyens d'une ſocieté policée*". Nec minus acrem ſe prodit huius migrandi libertatis defenſorem Ampl. I. Meerman (1), qui existimat, eam a ſimplicisſiima libertatis notione ſciungi omnino non posſe.

Sunt ſane acerrimi illi huius iuris vindices. Non defuerunt tamen, qui in contrariam abirent ſententiam, arbitrati, civem tam arcto cum ipſa civitate vinculo conſtringi, ut libera discedendi venia prorſus ei ſit neganda (2). Ita Wolffius (3) ſtatuit, per naturam obligationis civilis civibus liberum non esſe discesſum, ſed a pacto expresſo, aut ab imperantis vel asſenſu vel disſenſu omnem e civitate discedendi veniam unice pendere.

Multum itaque nostra intererit, in hoc doctorum virorum disſidio certa quaedam poſuisſe, eaque naturae congrua principia, unde haec Iuris Publici quaestio rite definiatur. Saepe enim de-

(1) *Berichten omtrent de Pruisſ. Oostenr. enz. Mon.* Tom. I. p. 192.

(2) Huber, de Iure Civit. II. Sect. 2. c. 1. § 29. 33.

(3) I. N. § 1019. et 1107. Magis libertati favet Luzac ad d. § 1019.

desint apud populos expressae de hoc argumento leges. Vel si quae habentur, de earum iustitia quaestio moveri potest. Utroque autem casu, e solo iure naturali, hominum civiumque iura poterunt cognosci.

Sunt argumenta quaedam, quae prope ad hanc nostram accedunt quaestionem, ab ea tamen omnino separanda esse videntur. Huc pertinet v. c. *ius mutandi domicilii in ipsa patria.* Sed haec facultas adeo pertinet ad libertatem civilem, ut, ubi migrare e patria vel omnino non liceat, vel non nisi difficulter concedatur, ibi tamen migrare in ipsa patria omnino permittatur (1). Sic in Anglia, teste Blackstonio (2), cuivis licet sedem rerum suarum constituere, quocunque loco velit. Et merito. Etenim „ *forcer la résidence, ce serait blesser la liberté. On doit être aussi libre dans le choix, et dans le changement de son domicile, que dans ses autres actions*" (3). Facultati migrandi e patria affinis eti-

(1) Wolff. I. N. et G. § 1103. Huber, de I. Civit. II. Sect. 2. c. 2. § 14.

(2) *Comm. sur les lois Angl.* Tom. I. p. 197. quae tamen libertas, ratione pauperum et egenorum inprimis hominum, nonnihil coarctatur. *Voyage d'un Franc. en Anglet.* Tom. I. p. 303.

(3) *Conférence du Code Civil* I. p. 276.

etiam est *libertas in exteras regiones ſe conferendi peregrinationis cauſſa.* Haec ſcilicet ubique non aeque conceditur (1). Sic Romae e. gr. Imperatores vetabant, ne quis Senator, ſe invitis, peregre proficiſceretur (2). Pariter edixerunt recentiori aetate Principes, ne qui cives ſine conſenſu ſuo extra patriam iter ſuſcipiant.

Agendum vero mihi erit *de libertate civis migrandi e patria*, id est, „ e terra illius nationis in qua quis natus est, cuiusque nationis partem obtinet", „ ſeu in eam ſis delatus ſorte naſcendi ex parentibus, qui intra eius fines habitarunt, ſeu eam maturiori aetate domicilium proſperitatis manentis tibi ipſe conſtitueris" (3). Et iſtiusmodi hic esſe debet e patria diſcesſus, ut is, qui migret, antiquam patriam abdicet, novam nanciscatur. „ Tales enim patriae amisſiones novimus, quibus quis ex ea migrat, abit, fugit: quibus autem quis in ea manet, vivit, ſervatur, migrationes non novimus" (4).

In

(1) Vattel, *Droit des Gens.* I. c. 19. § 221. ſq.

(2) Vid. citt. ab Averranio, Interpr. Iuris. I. c. 12. § 12.

(3) Cl. Wyttenb. Protrept. in Philomathiae lib. II. p. 180. et Peſtel, additam. § 69. cf. Vattel, *Droit des Gens.* I. c. 11. § 122.

(4) Cl. Wyttenb. l. c. p. 185.

V

In argumenti huiusce nostri disquisitione eam secuturus sum viam, quam ipsi indicasse videntur Viri Clarissimi, qui publicae disceptationi hanc quaestionem proposuerunt. Primum scilicet breviter considerabimus obligationis civilis naturam, quantum ad propositum atque institutum nostrum hoc pertinere videbitur. Deinde inquiremus, an obligationis civilis natura liberam e patria migrationem civi permittat. Porro videndum, an et quatenus leges publicae positivae hanc migrandi facultatem adimere possint, et quatenus eam ademerint nonnullorum, Europaeorum inprimis, populorum iura positiva publica. Tum nonnulla disputabimus de praecipuis quibusdam caussis impeditae illius apud diversos populos libertatis. Tandem hisce subiicietur disputatio de eo, an omnia iura et officia et civis et patriae post migrationem penitus intereant.

Natura obligationis civilis.

Ut obligationis civilis natura rite cognoscatur, nonnihil dicendum videtur de civitatum origine, atque fine.

Coïerunt homines in societates. Quiete sic magis vitae commodis fruiti sunt, incommoda, quae in statu naturali experti fuerant, evitarunt, fe-

felicitatem suam adauxerunt, et nova nacti sunt, eaque firmiora vitae felicis praesidia. Hoc itaque quietis et felicitatis tam internae quam externae studio omnis continetur civilis societatis finis (1).

„ Omnes civium obligationes atque iura metienda sunt ex fine, in quem consenserunt omnes" (2). Iam vero civitatum finis, publicum est et commune omnium bonum. Ita fit, ut civium obligationes omnes ad unum facile referri queant praeceptum: *Omnem operam intende ad bonum commune publicum promovendum* (3). Etenim quod utile est civitati, quidni hoc singulis prodesset civibus? „Potest autem, quod inutile reipublicae sit, id cuiquam civi utile esse?" (4) Praecepti illius vim recte perceperunt et enunciarunt antiqui illi philosophi, qui cives civitatis considerabant, ut unius cu-

(1) Wolff, I.N. et G. § 972. Filang. *sc. de la legisl.* init. Pestel, addit. § 56.

(2) Wolff, I. N. et G. § 836.

(3) Pestel, Fund. I. N. § 156. et eius Orat. de studio boni communis, lege civitatum prima. Wolff, I. N. et G. § 887, 975 sq.

(4) Cicero, de Off. III. c. 27. de quo l. vid. Barb. ad Puff. VII. c. 1. § 4. sect. 1.

cuiusdam corporis partes. „ Nihil, ut ait Arrianus, Diſſ. Epictet. (1) civis privatim utile ducat, et nulla in re existimet, ſe omni obligatione esſe liberum: ſed ita cum civitate ſe coniunctum ſentiat, ut manus aut pes, ſi ratione uterentur, et naturalem ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter, nec deſiderarent quidquam, niſi habita ratione univerſi." Unum hoc ſed primarium civium in civitate officium praeclare exprimit quoque Filangieri (2). „ *Il est un devoir rigoureuſement obligatoire pour tout homme dans toute ſocieté. Ce devoir ſubſiste ausſi longtems que la ſocieté, et perſonne n'en peut être exempt, ſans être exclus de la ſocieté, ou ſans que l'ordre de cette ſocieté ſoit troublé. Ce devoir est de contribuer, autant qu'il est posſible, au bien de la ſocieté à laquelle on appartient*". Quodſi ergo quis privatum commodum publico anteponendo civitati vere noceat, hic ſanctisſimam

(1) Lib. II. c. 12. ap. Barb. l. c. ſect. 2. Eandem civitatem inter et humanum corpus comparationem egregie perſequitur Plato, de Rep. V. 462. C. D. 464. B. Volebat enim hic, civitatis eiusdem cives συμπνεῦσαι, καὶ καθάπερ ἵππων ζεῦγος καθ' ἕνα εἰς ταυτὸν (τὸ λεγόμενον) ξυμφυσῆσαι. Legg. IV. 708. D.

(2) *Science de la legisl.* Tom. 7. p. 271.

mam omnium obligationum violasse dicendus est (1).

Ex hac prima civitatis lege complures possunt repeti mutuae obligationes, quae inter civitatem et civem intercedunt.

Est in illis obligatio quaedam primaria, qua scilicet sola ipse societatis civilis finis obtineri queat, ut *civitas se ipsam conservet atque perficiat*, et removeantur adeo ea omnia, quae civitatis perfectioni obesse videntur, vel ei interitum minitantur (2).

Scilicet felicitas illa et valida iurium defensio, quam sibi proponunt, qui in civitate vivunt, obtineri non potest, nisi omnium vires in recte constituta civitate bene consocientur. Hoc ut fieri possit, tenentur cives societatem civilem conservare atque defendere. Praeterea haec civium obligatio ex ipsa etiam hominis natura recte ducitur. Etenim, quia animal sociale homo est, ideoque status socialis unice naturae convenit, tenetur homo civilem societatem, in qua ipse degit, tueri atque servare (3).

Accedit etiam altera quaedam civium obligatio, ut ipsam civilis consociationis rationem non

(1) Vattel, *Dr. d. Gens* I. § 123.
(2) Wolff, I. N. et G. § 1093 - 1095.
(3) Vattel, *Dr. des Gens* I. § 16.

non tantum conſervent, ſed et reddere perfectiorem conentur. Vult enim naturae lex, ut homo ſe ipſum perficiat. Haec perfectio plene obtineri non poteſt, niſi in civili ſocietate, ubi omnes ad eandem perfectionem vires ſuas intendunt (1). Iam pacti civilis indoles poſtulat, ut non ſuae tantum ſinguli, ſed et ceterorum civium perfectioni et felicitati omnes proſpiciant (2).

An ipſa natura obligationis civilis liberam e patria migrationem civi permittat?

Conſiderandum hic inprimis erit, an obligatio civium ad civitatem conſervandam atque perficiendam, et obligatio civilis univerſa, ſalva eſſe poſſit, ſi civibus liber concedatur e patria diſceſſus.

Naturam obligationis civilis hanc migrationem civibus nequaquam denegare, inde facile apparet, quod cives nec *voluerint*, nec *debuerint* abdicare eam migrandi facultatem, quum in ſocietates venerint.

Non voluerunt conſenſu ſuo cives hac ſe libertate privare. Nam, qui in civitate degunt,

(1) Wolff, I. N. et G. § 44.

(2) Vattel, *droit des Gens* I. § 21.

gunt, ideo censeri non possunt, curam sui rerumque suarum abiecisse, imo eo proposito in civitate sunt, ut sibi rebusque suis bene consulant. Retinuerunt iccirco liberam sibi migrandi facultatem, quam primum alia in civitate melius sibi se prospicere posse existiment. Venerunt in civitatem, brevi forte displicituram. An censebuntur perpetuo sese huic civitati mancipare voluisse? Nequaquam profecto. Homini propria est cura naturalis libertatis, ideoque non maiorem huius libertatis partem cives abdicarunt, quam quae ad civitatis quietem et salutem necessaria erat. (1) Quodsi igitur migrandi etiam facultas cum civitatis fine consistere queat, (quod deinde ostendere conabimur) dicendi etiam sunt cives noluisse hac se libertate privare. Ita fit, ut, qui in societatem civilem venerit, censeri debeat, tacite servasse sibi facultatem ex ea discedendi, quamprimum sibi libuerit (2).

Non

(1) Spectat huc observatio Mandrillonii, Spect. Americain P. II. p. 8. „*Chez tous les peuples de l'univers l'amour de la liberté parait l'avoir emporté sur celui même de la patrie. Rarement on a vu sacrifier la liberté à la patrie, très souvent la patrie a été sacrifiée à la liberté.*

(2) De Felice, *Dr. d. N. et d. Gens* Tom. III. p. 147. de Réal, *sc. du Gouvern.* Tom. IV. p. 548.

Non debuerunt cives, per naturam pacti civilis, liberum sibi e patria exitum praecludere, quia incommoda, quae in civitatem ex libera illa migrandi facultate forte possint redundare, leviora, commoda contra, quae merito inde exspectare licet, magna sint, et non parum ad ipsam civitatum perfectionem atque felicitatem valeant. Quae si ita sint, certum est, hanc migrandi facultatem societatis conservationi aut perfectioni nequaquam obstare, ideoque non esse defuturum officiis suis civem, qui e civitate alio discedat.

Deinde non ea est obligationis civilis natura, ut sit perpetua, ut ea se liberare cives numquam possint. Finis quidem civitatis est, ut sit perpetua (1), sed illud pactum, quo cives se obstrinxerunt ad reipublicae commoda promovenda, non ita est perpetuum, ut eo se exsolvere cives numquam possint; i. e. non se obstrinxerunt, ut

(1) Pertinent eo eximia Ciceronis verba Rep. III. Ed. Ernesti, fragm. p. 1157. „ Debet constituta sic esse civitas, ut aeterna sit. Itaque nullus interitus est reipublicae naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem cum tollitur, deletur, exstinguitur, simile est quodammodo, ut magnis parva conferamus, ac si omnis hic mundus intereat, ac concidat".

ut perpetuo in una eademque civitate ſint manſuri. Ideo penes civitatem ius non est, civem invitum, quaſi rem aut mancipium, quod in dominio quis tenet, retinendi (1).

Non deſunt quidem, qui ex inſtituta comparatione officiorum, quae inter civitatem et cives mutua ſunt, ſtatuant, per pacti civilis indolem, non magis civi licere, invita civitate discedere, quam liceat civitati, civem invitum non delinquentem e patria eiicere. Sed haec comparatio non procedit. Cives enim, quum irreparabile damnum esſent pasſuri, ſi inviti e civitate eiici posſent, omnibusque vitae civilis commodis pro lubitu privari; ſive tacite, ſive expresſe hanc poſuerunt civitati legem, ut ne inviti e patria eiiciantur, niſi in poenam criminis (2). Civitas contra non eadem patietur ex libero civium nonnullorum discesſu incommoda; ſatis enim virium retinet, ut ſe defendat, et ſaluti ſuae rite proſpiciat; egregium praeterea civem, alio migrare parantem, muneribus ac praemiis facile retinebit. Ideo non debuit illa civibus ſuis exitum e patria adimere. Civi porro, cui patria ſua minus placet, nullum re-

(1) Kant, *Metaph. anfangsgr. der rechtslehre* p. 207.

(2) Moreau, *Pligten der Overheden* p. 130 ſq.

remedium superest, nisi ut vel patienter rerum conditionem ferat, vel alio migret; et hoc ultimum malorum effugium adimi ipsi non debet (1). Ex hisce observationibus, ni fallor, non difficulter proposita argumenta dissentientium refelluntur.

Sunt etiam, qui existiment, libera manente civibus migrandi facultate, rempublicam exhauriri civibus, et nimium sic viribus frangi. Sed his opponere liceat Barbeyracii (2) eximia verba: „ *On ne voit pas, que les pays, où chacun a pleine liberté de s'en aller ailleurs, si cela l'accommode, soient moins peuplés, que les autres. Au contraire, cette même liberté, et la douceur du Gouvernement, qui la laisse, font que pour un qu'on perd, on en recouvre mille, qui augmentent les forces et les richesses de l'état*".

Non parum autem iuvabit, paucis hic conside-

(1) Puffend. *dr. de la N. et des G. VIII. c.* 11. § 6. de Réal, Tom. *IV. p.* 553 *sq.* „ *Un citoyen mécontent d'un contrat, que ses ancêtres ont fait sans sa participation, et se trouvant réduit à une horrible pauvreté, peut, sans qu'on ait droit de s'y opposer, fuir l'association générale, et se rétirer. Essai sur la politique et la législat. des Romains p.* 363.

(2) *Préf. ad* Grot. *dr. de la N. et des G. p.* 41.

derasse, quanta *commoda* civitates vulgo ex ipsa hacce libera civium migratione percipiant. Quae commoda si adsunt, non potest obligationis civilis natura liberum denegare civibus discessum. Absurdum enim videretur id prohiberi, quod non potest non civitati prodesse, eiusque perfectionem augere.

Mutuum itaque commercium et libera inter diversas gentes migrandi facultas efficiunt, ut alii apud alios maioris humanitatis et morum ingeniique cultus auctores exsistant, artes atque doctrinas perficiant, et sic societati civili quietem, salutem, felicitatem maiorem afferant. Docet historia, quantum Graeci debuerint coloniis, aliunde ad se adventantibus (1), quantum Graecis item debuerit Romanorum cultior aetas. Recentior etiam historia docet, quantum Europaeae gentes mutuo profecerint ab extraneis, quos in suas terras reciperent (2). Multi principes exteros ad se vocarunt artifices, qui opificia perficerent (3). Neque ignoratur, quantum profecerint Americani ab opificibus illis peregrinis, qui magnis primum praemiis, favo-

(1) Heeren, Ideën Tom. III. p. 104 sqq.

(2) Cf. Bodin, de Rep. I. c. 6. p. 93.

(3) Vie de Franklin et Oeuvr. posthum. Tom. II. p. 163.

voribus et privilegiis invitati, in Americam habitatum cedebant (1). Sublata itaque migrandi libertate, magnum civitatum emolumentum, et princeps aliquod perficiendae societatis humanae praesidium necessario interiret.

Fateor, ea, quae hic observavi, proprie pertinere ad universae humanae consociationis commoda, quae ex libero civium e patria discessu oriantur, non vero proprie ea referri ad commoda illius civitatis, unde quis decedat; docemur quoque, mensuram officiorum, quae cives praestare patriae debent, vulgo non esse exigendam ad universam humani generis societatem, sed ad peculiarem illam, ad quam illi cives proprie pertineant (2). Videri itaque possent haec minus recte fuisse allata, ut inde intelligatur ipsa obligationis civilis natura hac in caussa. Verum, aut fallor, aut ea, quae ad universam societatem generis nostri perficiendam valent, haec eadem singulis civitatibus aeque proderunt. Praeterea, quando in obligationis civilis indolem inquiritur, semovenda inde videtur omnis legum positivarum consideratio, et in nostra definienda quaestione, vel universe prohiben-

(1) Franklin, Op. l. Tom. II. p. 351, 158 sq.
(2) De Réal, *sc. du Gouvern.* Tom. IV. p. 550.

benda, vel ubivis libera est relinquenda migrandi potestas. Quodſi ita res conſideretur, nullum est dubium, quin univerſe ubivis permisſa migratio ſingulis etiam civitatibus magis ſit profutura, quam univerſa huius libertatis ablatio. Deinde obſervandum, non etiam hic proprie agi de officiis, quae univerſae humanae ſocietati quis debeat, ſed conſiderari commoda, quae ex libero civium e patria discesſu univerſum humanum genus percipiat, quaeque necesſario iccirco ad peculiares etiam civiles ſocietates pertinent; et ex his peculiarium adeo etiam civitatum commodis, iura et officia civium hac in causſa definiri posſunt.

Vidimus ſic de commodis, quae ex libero civium discesſu vulgo oriuntur. Saepius autem plura adesſe posſunt *incommoda*, quibus civitas prematur, ſi cives pro lubitu posſint discedere. Videndum itaque, an haec incommoda tanta ſint, ut ideo ipſa obligatio civilis nonnumquam dici queat impedire, quominus civibus alio migrare liceat.

Ea certe est civitatum conditio, ut non paucorum quorundam, ſed univerſorum ope felix ſit et quieta civitas. Generatim itaque dici nequit, migratione ſingulorum tantum civitati damnum inferri, ut ſic conſervari et perfici ea non posſit. Veruntamen fieri posſit, ut vel ex uni-

us,

us, vel ex plurium etiam discesſu gravia patiatur civitas incommoda; et hoc caſu distingui oportere videtur, inter boni civis *officia*, quae ſunt *perfecta*, et ea, quae ſunt *imperfecta*, „ ad quae praeſtanda per vim compelli non debet, ſed quibus ſtrenue exſequendis de civitate bene mereri potest" (1). Perfecte a cive exigitur, ne ſocietatem laedat, imperfecte, ut ea agat, quibus ſocietati proſit. Quoties itaque migratione civium perfecte laeditur civitas, toties migratio erit illicita habenda; quoties vero hoc non obtinet, toties etiam liber discesſus civi non negatur. De ſingulis videamus.

Laudabilis est civis, et internorum officiorum obſervantisſimus, qui patriam non relinquit, quia proſpicit, civitati inde forte damnum posſe oriri (2), ſed perfectis officiis non deërit migrans, ſi modo civitatem discesſu ſuo vere non laedat. Nihil itaque obſtat, quominus is, qui patriae ſuae antea profuit, alio iam migret, ita ut novae patriae, in quam venerit, deinde proſit. Est enim in rerum natura ſitum, quod canit Lucretius (3).

Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur.

Sed

(1) Pestel, additam. § *65*.

(2) Cf. Vattel, *Dr. des G.* I. c. 19. § 220. ſect. 2.

(3) de Rer. Nat. II. vs. *76*.

Sed si civitas inde tantum patiatur damnum, ut sibi ipsa non amplius sufficere posse videatur, quando talia agere civibus liceat; tum perfecte civis manere tenetur, et patriam non relinquere (1).

Omnis itaque migratio, quae vel intempestive fit, ita ut sic societati vere noceatur, vel quae dolo malo instituitur, perfectis civium officiis, adeoque obligationis civilis naturae contraria est habenda.

Dolo malo fiet migratio, si civis discedat proposito nocendi patriae suae, vel fraude se iis liberat officiis, quae civitati ipse debet. Huc pertinent, qui bello imminente, vel agi iam coepto, solum vertunt, et ad hostem profugiunt, veluti ut patriam prodant. Sic enim obligationi civili maxima infertur vis, quia perfecte tenentur cives omnes suam ipsi patriam ab exteris hostibus defendere. Potest autem sine dolo migrantis, tam *intempestivus* civitati etiam esse discessus, ut obligatio civilis hanc quoque migrationem omnino ferre nequeat. Obtinet hoc v. c. in iis, qui metu belli instantis aufugere conantur. Sic iure post cladem Cannensem Scipio iuvenes nobiles prohibuit, ne Italia excederent. Iure etiam Q. Fabius Maximus urbis Romae portis custodes apposuit, ne cui

(1) Cf. Wolff, I. N. et G. § 59.

cui excedere liceret. Haec scilicet, et quae alia huiusmodi sunt, adeo civitatum conservationi et quieti obstant, ut admitti nequaquam possint. Non incommode itaque ad hanc intempestivam migrationem trahi forte poterit dispositio legis civilis, quae iubet, ne unus socius societati renunciet, si ceterorum interest societatem non dirimi: „ semper enim non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solere, sed quod societati expedit" (1).

Sic iam posuimus universa quaedam principia, unde iuris naturalis publici dispositio de migrandi facultate intelligi possit. Consideravimus autem obligationem civilem, qualis illa ad omnes omnino cives pertinet. Non raro tamen *peculiaris nonnullorum civium conditio*, et singularia, quae in se receperunt, officia efficiunt, ut arctiori quam ceteri cives vinculo civitati adstricti sint (2), quod eiusmodi esse potest, ut per eam, quam in se receperunt, peculiarem obligationem, omnis e civitate discessus iis interdictus sit. Pertinent huc, quotquot munere publico ornati, in regenda republica et curando bono communi praecipuam suam

(1) l. 65. § 5. D. pro Socio l. 14. l. 17. § 2. Eod.
(2) Puff. de O. H. ac C. II. c. 18. § 1.

ſuam polliciti ſunt operam (1). Pertinent eo prae ceteris milites, qui totos ſe civitati mancipatunt, quibus adeo, neque etiam per brevisſimum tempus, ſedem mutare licet, principe inconſulto aut invito: his ideo migratio e patria nunquam eſſe libera poteſt. Sunt etiam alii, qui non conſenſu quidem, ut illi, quos memoravi, ſed facto tamen ſe obligarunt, ne relinquant patriam, veluti qui ex delicto, vel ex geſta adminiſtratione, vel alia quacunque de cauſſa civitati vel ad poenam, vel ad pecuniae ſummam, vel denique ad aliud quoddam ſint obligati. Imo hi manere non tantum in patria debent, verum etiam ſi exceſſerint, a magiſtratu regionis revocari per literas, quae dicuntur requiſitoriales, omnino poſſunt. Ceterum, quae de his civium ordinibus dixi, ad id tantum tempus pertinent, quo munus illud gerunt, quo peculiari illo vinculo civitati adſtringuntur. Poſtquam enim iure hoc vinculo ſe exſolverint, ad communem *civium* ordinem redeunt, neque aliis tenentur, quam ceteri cives, obligationibus.

His ita expoſitis, paucis adhuc videndum de celebri illa quaeſtione, an, prouti ſingulis, ita

eti-

(1) Cf. Monteſq. *Eſpr. d. Loix* XII, c. 30. not. ult.

etiam pluribus hominibus, ſive *magnae civium copiae* e civitate discesſum permittat obligationis civilis indoles. Nota hic obtinet Grotium inter et Puffendorfium disſenſio. Negat ille (1), hic affirmat (2). Alii aliter item distinguunt (3). Sed hac quaestione facile careri posſit, quum non ſeparatim tractanda, ſed ex iis, quae iam propoſita ſunt, rerum momentis diiudicanda esſe videtur. Scilicet, ſi civis unus migrando non violet obligationem civilem, nec plures etiam cives ſingulatim ſumti peccabunt, ſi e patria alio migrent. Deinde ſinguli homines ſua ſibi iura habent propria. Iccirco mihi meum migrandi ius adimi non potest, quod alii item ſuo migrandi iure uti velint. Praeterea difficile negotium ſit, accurate definire magnam illam hominum copiam, magnum illum numerum. Per rei naturam accurati limites hic non facile ſtatui queunt, nec tamen iuris et naturalium obligationum definitio ab incerto quodam numero pen-

(1) I. B. ac P. II. c. 5. § 24. ſect. 2.

(2) I. N. et G. VIII. c. 11. § 4. Hunc iterum Wernherus, Elem. I. N. et G. c. 26. § 4. refutavit.

(3) Sic Wolff, I. N. et G. § 1019, plurium discesſum tum tantum admittit „ ubi tanta est rerum penuria, ut extremae vitae necesſitati discedentium proſpicere non detur „ cf. Noest, *Staatsregt* p. 210.

pendere debet. Dicunt, qui hanc plurium migrationem omnino prohibitam existimant, eiusmodi discessu civitatem nimium labefactari, imo eius interitum inde oriri saepius debere (1). Neque nos etiam haec fieri posse negamus. Nam si talia sunt rerum momenta, ut haec migratio civitatem vere laedat, illicita ea profecto est habenda, sed non ideo tantum, quia plures simul migrant, sed quia sic, in tali rerum conditione hac migratione patria iure suo perfecto privatur.

Sic quaestio de migratione magni, qui dicitur, numeri civium, non peculiariter tractanda, sed ex communibus principiis definienda esse videtur. Probe quoque se habet Barbeyracii (2) observatio, huic catervarum migrationi locum fere non futurum, dummodo curent principes, ut felices sint cives. Illi hos bene regant, et prospiciant, ut eorum, quae ad vitam necessaria sunt, copia adsit: tum profecto cives alio catervatim non migrabunt, sed in patria vitae commodis quiete frui pergent.

(1) De Réal, *Science du Gouvern.* Tom. IV. p. 550.

(2) not. ad supra citt. Grotii et Puffend. loca.

Quatenus leges positivae hanc liberam migrandi facultatem civibus adimere possint?

„In iure publico positivo exponendo qui versantur, illis duas quaestiones ante oculos versari oportet, unam, quid princeps et cives promittere sibi potuerint; alteram, quid voluerint" (1).

Primum itaque videbimus, an cives migrandi libertatem adimere sibi potuerint, dein autem, an eam sibi adimere voluerint; quae posterior quaestio ex recensione legum positivarum diversorum populorum modo cognoscetur.

Videntur profecto cives posse abdicare liberam illam e patria migrandi facultatem. In genere enim „permissa ac rata abdicatio iuris est ea, quae non e diametro repugnat consilio, quo natura distinxit iura hominum; hoc est, qua abdicatione non efficitur, ut homines vivendo cum hominibus deterioris fiant conditionis, quam futuri erant in solitudine, vel ut ad eum statum prolabantur, in quem solertia hominum redigit bruta animantia" (2). Tale autem quid fieri, quando cives migrandi e patria libertate se privant,

(1) Pestel, additam. § 9.

(2) Pestel, Fund. I. N. Part. II. sect. 8. § 437.

vant, nullus est, qui contendat. Videtur quidem huiusmodi libertatis coarctatio esse odiosa et ad servilem prope ea conditionem accedere; sed ne vel sic tamen pateat, civem non posse omnino hanc sibi libertatem adimere. Imo vero, quum homo in servitutem ita se tradere possit, ut actiones suas ad alterius iustam voluntatem regere teneatur, ut nihil proprii habeat (1), iccirco multo etiam magis licebit homini, libertatem suam naturalem coarctare, ratione certae cuiusdam et licitae actionis, qualis est migrandi facultas, „ nam non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere" (2).

Possunt itaque cives liberum sibi e patria discessum praecludere; quod si fecerint, imperans iure istiusmodi leges feret, quae migrationem illam impediant. Nonnunquam etiam fieri poterit, ut talis migrandi iuris abdicatio civitatis commodis et saluti admodum prodesse debeat. Quoniam enim gens se conservare atque perficere tenetur, ideo cuilibet genti ius est ea iubendi et vetandi, quibus ab interitu sibi caveat (3). Potest itaque discessus civium vetari, si civitas nimium ita labefactari videatur. Pertine

(1) Grot. I. B. ac P. II. c. 5. § 27. n. 2.

(2) l. 21. D. de R. I.

(3) Wolff, I. N. et G. § 1095.

net enim haec migrandi libertas ad ea iura, „quibus si nescias uti, eorum possessio conservata magis nocet, quam prodest" (1). Sponte hinc etiam sequitur, non iniuste agere principem, qui migrationem e patria ita coarctat, ut migrans modicam bonorum partem relinqnere, vel pecuniae quamdam summam solvere cogatur, eo quidem consilio, ut damnum, quod ex eius discessu pati possit civitas, ita resarciatur. Quodsi itaque lex civilis migrandi libertatem coarctet, vel prorsus adimat, huic legi obsequium praestare debent cives, quia in eam vel expresse, vel tacite consenserunt (2).

Patet ex dictis, posse omnino imperantem ius migrandi e patria coarctare, si civitatis ratio id flagitet. Potest tamen aliquando eiusmodi exsistere rerum conditio, ut nec civis naturalem migrandi libertatem abdicare, adeoque nec princeps eam civibus adimere possit. Tunc, etiamsi lex prohibeat, tuto tamen migrare licebit (3). Etenim, quoties civitas civi non praestat eam tu-

(1) Cf. Pestel, Fund. I. N. § cit.

(2) De Réal, *Science du Gouv.* Tom. IV. p. 547

(3) Hoc argumentum tractat quoque de Réal, l. l. p. 550 sq. sed vereor, ne hic nonnulla eo retulerit, quae, iure perfecro saltem, non semper absolutam dare possint migrandi facultatem.

tutelam, eam felicitatem, quam sperare ipsi liceat, quamque consequi debeat ex ipso fine societatis civilis, toties ius discedendi civium in dubium vocari, aut tolli nulla lege poterit. In civitate non singuli tantum universis, sed et universi, seu civitas, singulis obstringuntur. Has obligationes si civitas negligit, cuique liber debet esse discessus (1). Nam prouti civitati ius est, civem noxium et pacto civili vim inferentem e medio tollendi, sic civi semper licet discedere e societate civili, quae sua erga cives officia non implet. Obtinet haec rerum conditio universe, quando valida non praestatur a civitate defensio, quies atque felicitas (2), v. gr. si bene vivendi copia civi in istiusmodi civitate desit, et offerat illam alia regio. Sic his ipsis temporibus, magno numero in Americam concesserunt Helveti, ea spe ut feliciori lautiorique vita ibi fruantur, quam in patria frui ipsis licuerat. Pariter migratio civibus libera esse debet, si ea imperii forma, quam ipsi antea probarant, deinde in aliam mutatur, in quam consentire cives nolint. Idem obtinet, si posteri imperii rationem, a maioribus acceptam, commutare velint, neque hoc tamen per rerum

aut

(1) Cf. Wolff, I. N. et G. § 442.

(2) Vattel, *Dr. des Gens* I. § 33. 223.

aut temporum conditionem perficere queant. Haec enim istiusmodi sunt, ut ab iis probari necessario debeant, qui imperio illi eo tempore subsunt. In haec nemo nisi pro se tantum, nunquam vero pro aliis consentit (1). Sic quoque ob pacti civilis violationem cives libere semper discedent, si princeps arrogare sibi velit imperium in eas res, quarum arbitrium vel ex sola lege naturali, vel ex civium etiam expressa voluntate penes eum esse non potest; veluti, quando opiniones religiosas civium suo imperio subiicere conatur. Ludovicus itaque XIV, Franciae rex, formulam Catholicorum vi et armis acerrime propugnans, iniuste egit, quum vetaret, ne ii, qui alii formulae addicti essent, Francia excederent (2). Pariter, quando rudiores nonnullos in gente sua, princeps ad humaniorem vivendi rationem adigere tentat, non debet iis, quibus haec cultior ratio minus placet, discedendi facultas adimi. Sic, qui in Scotia Septentrionali habitant, (Highlanders) frequentes in Americam migrarunt, ut effugerent regis Anglici iussa, avitam ut relinquerent vivendi rationem,

(1) Raynal, *Staatsomwent. van Amerika* p. 34. Meerman, *Ber. omtr. Pruisf.* I. p. 192.

(2) *Negotiatien van den Grave* d'Avaux, *V deel.* passim.

nem, severe illis praecipientis. Hoc iis effugium adimere inhumanum foret, imo etiam iniustum (1). Leges itaque omnes, quae hisce rerum momentis migrandi facultatem civibus adimerent, iniustae forent, quia non facere cives iuberent, quod hi se non facturos principi spondere vel non potuerunt, vel non voluerunt (2). Profecto nec possunt, nec volunt cives exitum sibi e patria praecludere, quando eiusmodi sunt res, eiusmodi tempora.

Dispositiones iuris publici Europaei, et aliorum populorum nonnullorum.

Quatenus ius migrandi apud varios Europae populos vel liberum sit, vel magis coarctatum, cognosci debet ex peculiari singulorum populorum iure publico, et pactionibus hac de re inter gentes initis (3). Ad hoc autem argumentum accurate et plene tractandum, tanta requiritur historiae et legum diversarum gentium cogni-

(1) *Voyage d'un Franc. en Anglet.* Tom. I. p. 438.

(2) Pestel, Additam. § 25.

(3) von Martens, *Einl. in das posit. Europ. Völkerr.* § 78.

nitio, quanta a iuvenili scriptore exspectari vix possit; quocirca id solum agam, ut, quas leges cognoscere mihi licuit, has excitem, et ita qualemcunque exhibeam iuris positivi publici de argumento nostro expositionem.

Antiquissimorum populorum legum ea universe ratio fuisse videtur, ut cuique volenti liberam migrationem concederent. Ad migrandum facillimi esse solebant populi veteres (1). Patet hoc ex eorum coloniis magno numero in omnes terrarum partes emissis.

Neque hinc etiam discedebant *Atheniensium* leges, quae apud Platonem sic loquentes inducuntur: „ Edicimus nos, quod cuicunque Atheniensium permittimus, ut, postquam exploraverit, et viderit negotia et rationem civitatis, item nos, leges, tunc si ei non placemus, liceat illi, suis rebus secum sumtis, discedere, quocunque velit. Et nulla nostrum, legum, impedit, aut prohibet, sive quis vestrum, cui nos civitasque minime placeamus, in coloniam ali-

(1) „ *Ces anciens peuples avaient une humeur inquiète, qui les rendait très sujets aux migrations, et qui les portait à changer de séjour avec une facilité, qui nous étonne toujours à présent*". Goguet, *de l'orig. des loix*. V. p. 95.

aliquam velit discedere, five habitationem alio transferre, quominus id pro arbitrio faciat, et fecum fua perferat" (1). Patet hoc etiam ex ratione, qua coloniae illae Athenis a metropoli mitti folebant; fcilicet non defiderabatur vulgo populi aut Magiftratum auctoritas, fed principes quidam viri, alio coloniam ducturi, quotquot poterant, fibi adiungebant itineris focios, et cum his fua auctoritate in aliam regionem concedebant. Liber fic erat omnibus e patria discesfus (2).

Zaleuci leges rem esfe maxime reprehendendam iudicabant, fi quis *Locrenfium* patria terra orbatus, in peregrino folo habitaret (3). Vetuerat etiam Lycurgus, ne cives peregrinarentur, vel alio habitatum irent (4). Similem fuisfe Cre-

(1) Critone 51 D. In civitate tamen, quam finxerat ipfe Plato, edixit: οὐδ' ἂν ἀποδημῆσαι βούλωνται ἰδίᾳ, ἔξεσται αὐτοῖς Rep. IV. 420 A. Facultatem vero peregrinandi in lib. de Legg. non omnem prohibuit Plato: „ τὸ δ' αὖ μήτε ἄλλους δέχεσθαι, μήτε αὐτοὺς ἄλλοσε ἀποδημεῖν, ἅμα μὲν οὐκ ἐγχωρεῖ τό γε παράπαν ἔτι δὲ ἄγριον καὶ ἀπηνὲς φαίνοιτ' ἂν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις". Peregrinari ideo licet ei, qui 40 annis maior est, fi modo accedat auctoritas publica. Legg. XII. p. 950. A. D.

(2) Pertinent eo verba Platonis, in loco Criton. cit., ubi dicitur nulla lex ἐμποδὼν εἶναι, οὐδ' ἀπαγορεύειν, ἐάν τις βούληται εἰς ἀποικίαν ἰέναι.

(3) Stobaei Serm. XLII. p. 278. v. 9.

(4) Plutarch. Lycurg. 56. C.

Cretensium rationem docet Plato (1): „ Nullum iuvenem in alias exire civitates sinunt *Lacedaemonii*, uti neque *Cretenses*, ne dediscant ita, quae ipsi eos docuerunt". *Argivi* nulla omnino usi sunt migrandi facultate. Cecinit de iis Ovidius (2).

„ —— *prohibent discedere leges:*
Poenaque mors posita est patriam mutare volenti".

Romae erat „ de sua cuique civitate constituendi libera facultas" (3): Hinc Cicero (4) in Oratione pro L. Corn. Balbo fusius de hoc argumento dicens: „ O iura praeclara, inquit, atque divinitus iam a principio Romani hominis a maioribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. Haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis; sui quemque iuris et retinendi et dimittendi esse dominum. Iure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque, si velit, mutare non potest. Multi etiam superiore memoria cives Romani, sua voluntate indemnati et incolumes, his rebus relictis, alias se

(1) Plato, Protag. 342. D.

(2) Metamorph. XV. v. 28.

(3) l. 12. § 9. D. de captivis et postlim. cf. l. 22. § 2 D. ad municipal.

(4) pro Balbo c. 11 - 13.

ſe in civitates contulerunt. Prouti itaque omnibus civitatibus via est in nostram, ſic nostris civibus patet iter ad ceteras civitates". Obſervandum autem est, non ſemel per rerum momenta factum fuisſe, ut haec migrandi facultas Romae coarctata fuerit: quo etiam referri potest illud, quod ſupra attigi, iuvenum illorum exemplum, qui de patriae ſalute diffidentes, urbe excesſuri, a Scipione Africano, ut manerent, fuerunt coacti (1). Aliud etiam huius rei memorabile exemplum est in SCto, quo plures, qui ex urbibus Latii, Romam vel alio habitatum iverant, iubentur in ſuam quisque civitatem redire. Questae enim fuerant legationes ſociûm nominis Latini „, cives ſuos plerosque Romam commigrasſe, quod ſi permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deſerta oppida, deſerti agri, nullum militem dare posſent" (2). Scilicet id ſtudioſe agebant ſocii illi et Latini populi, ut, no-

(1) Livii Histor. XXII. c. 53. Videntur autem hi adoleſcentes non migrationem adeo, ſed potius proditionem patriae moliti esſe. Habuerunt enim „ verba orationemque adverſus rempublicam, quo coniuratio deſerendae Italiae causſa fieret". Livii XXIV. c. 18.

(2) Liv. XLI. c. 8. 9. qui XXXIX. c. 3. tradit, non multis annis ante idem accidisſe. cf. Niebuhr, *Röm. Geſch.* I. p. 388. 372. Pertinent eo Leges Claudia et Papia. vid. Bach. II. I. p. 151. 166. 177. ſq.

nominibus tabulis censualibus inscriptis, Romam commigrarent, et furtim sic ius civitatis consequerentur. Quae ut irrita fierent, ipsa migrandi facultas ademta fuit. Haec vero, uti dicebam, speciatim ita nonnullis de caussis fuerunt constituta. Universe enim iure Romano, posteriori etiam tempore, migratio libera erat; quod testantur verba Graeci interpretis: ἐξέστιν ἡμῖν, ὅταν βουλόμεθα, τὴν κατοίκησιν ἐναλλάσσειν (1). Ceterum animadvertendum est, hanc migrandi libertatem a Romanis saepius alio sensu accipi, quam qui nostro argumento convenire videatur. Nonnunquam enim magis de migratione in ipso orbe Romano ex alio in alium locum quaestio est, quam de discessu ex ipso imperio in peregrinas terras. Sed quoniam ea erat imperii Romani ratio, ut singulae regiones, singulae etiam civitates peculiari uterentur iure, vel Latii, vel Italici, vel Municipiorum, vel alio, ideo singulae illae civitates rite ita considerari posse videntur, ut peculiarem quasi patriam constituerint, eo effectu, ut commutatio domicilii ex una in alteram Imp. Rom. partem, omnino haberi posset veluti ex ipsa patria migratio quaedam. Veruntamen illi, quos adduxi, loci satis indicant,

Ro-

(3) Basilicon lib. 54. ad l. 4. Cod. de munic. et originar. cit. a Cuiac. paratitl. ad ill. leg.

Romanis etiam ex imperio ſuo in peregrinas regiones abire licuiſſe.

Prouti in Oriente raro quid reperitur, quod libertati faveat, ita ſummam quoque hac in cauſa ſeveritatem prodere ſolent leges Orientalium, aliorumque populorum, qui despotis ſubſunt, pro arbitrio quidvis iubendi potestatem exercentibus. Hi enim hominum ſe arbitrantes rerumque dominos, ſanctisſima ſubditorum iura, migrandi etiam libertatem omnem auferre ſolent (1). Sic Imp. *Sinenſis* poenam capitalem et publicationem bonorum iis minitatur, qui vel patriam reliquerint, vel relinquere conati ſint. Eorum conſanguinei in perpetuum ſunt deportandi, et qui illius migrationis conſcii ſunt, nec rem denunciarunt, fustibus icti extra imperium exſules mittuntur; quodſi opem tulerunt, capite plectuntur (2).

Similiter in *Mosſchovia* ſubditi, olim capitis poe-

(1) Perſae, forte ſoli Orientalium, migrandi libertate uſi ſunt. Recte Montesquieu, *Eſpr. d. Loix*, XII. c. 30. „ *La coutume de Perſe, qui permet à qui veut, de ſortir du royaume, est très bonne, l'uſage contraire a tiré ſon origine du despotisme, où l'on a regardé les ſujets comme esclaves, et ceux qui ſortent comme des esclaves fugitifs*".

(2) *Code Pénal de la Chine*, ſect. 255. art. 1. (Tom. 2. p. 7 ſq.)

poena statuta, prohibebantur, quominus patria excederent, et ibi, ut et in Tartaria, Aethiopia, aliisque Orientis regionibus, non tantum civibus, sed ipsis etiam aliquando peregrinis exitus negabatur (1). Humaniores quidem fuerunt redditae hae in Russico imperio leges per Petrum, Russiae principem, qui cognomine Magnus vocatus est (2). Sed neque postea Russis patria excedere licuit, nisi consentiente imperante (3). Nuper etiam Imperator *Maroccanus* Edicto 24 Maii 1816 mortis supplicium scripsit, in eos non solum, qui e regno alio habitatum cederent, sed in eos etiam, qui peregrinandi tantum caussa in Europam pergerent.

In iure publico *Germanicarum* gentium exponendo, fere solae in considerationem venire possunt recentiorum populorum leges. De legibus antiquissimorum Germanorum parum innotuit. Videntur Germani, Insubres, Helveti, Iapides, non-

(1) Grot. I. B. ac P. II. c. 5. § 24. sect. 1. Bodin. de Republ. I. c. 6. pag. 90. Hinc Montesq. de Moschis: „*tous les sujets de l'empire, comme des esclaves, n'en peuvent sortir, ni faire sortir leurs biens sans permission. Espr. d. Loix* XXII. c. 14.

(2) Cf. Schrock, *Algem. Geschied.* VI. p. 55.

(3) De Réal, *Science du Gouv.* Tom. IV. p. 539.

nonnulli item ex Gallia barbari discessum e regionibus suis prohibuisse, „ quorum in foederibus exceptum erat, ne quis eorum a Romanis civis reciperetur" (1). Deinde autem, medii aevi temporibus, iura certa omnino deërant, quum iuris naturae atque publici prima etiam ignorarentur principia. Acerbum etiam odium inter diversarum civitatum cives intercedebat. Prouti ante Romani, ita nunc Germanici populi peregrinum *hostis* nomine significabant, et si quis peregrinus per aliquod tempus alicubi degeret, eius persona et bona imperanti regionis cedebant (2). Patet hinc, eo tempore nullum omnino huic migrandi libertati locum esse potuisse, quum naturalia gentium iura adeo spernerentur, ut nullam putarent sibi cum aliis gentibus, cum hominibus exteris, intercedere iuris communionem.

Leges vero publicae recentiorum Europae gentium non omnes consentiunt. In *Hispania* liberum est cuique alio commigrare, et alienae civitati adscribi, dum id testato apud principem fiat (3). Exstat etiam pactum quoddam

(1) Cic. pro Balbo, c. 14.

(2) Meiners, *Mittelalter* I. pag. 616 sq. Montesq. *Espr. des Loix* XXX. c. 15.

(3) Bodin. de Republ. I. c. 6. p. 91.

dam inter Regem Hispaniae, et Ordines nostrarum regionum Generales, d. 30 Ian. 1648, quo conceditur Hispanis liber e regno discessus (1). In *Portogallia* quoque cives libere alio migrare possunt, modo expresse personam civis abdicent, et relinquant, quod ex liberalitate principis ad eos pervenerit. Contra vero *Sabaudiae* Rex, a. 1721, subditis suis discedendi facultatem interdixit. Cui dispositioni convenit edictum a. 1732 Caroli VI. Imp. Rom. Germ. quo vetuit, ne *Bohemi* regno excederent.

In terris illis, quae imperio *Romano-Germanico* continebantur, libera erat subditis migratio, quotquot scilicet liberae erant conditionis homines. Qui vero inter servos numerabantur, quique glebae adscripti erant, his, nisi expresse consentiente imperante, discedere non licebat. Imperans autem, cuius imperio eiusmodi se homo subtraxerat, eum, ubicunque reperiretur, prehendere, et in terram suam reducere poterat, quod imperantis ius *Wildfangiatus* vocabatur (2).

Gra-

(1) Bynk. Q. I. Publ. II. c. 25. § 7.

(2) De Réal, *Science du Gouv.* Tom. IV. p. 540 sq. De iure publico Germaniae, vid. Seidensticher, de iure emigrandi ex moribus Germanorum. Gött.

Gravis aliquando de hoc migrandi iure quaestio fuit exorta, quum Episcopus Salzburgensis satis magno numero eorum, qui novis sacrorum formulis adhaererent, e terra sua discessum negaret. Hi scilicet ea conditione in ditionem illam habitatum cesserant, ut sacra sua libere colerent. Quum autem deinde libero cultus divini exercitio eos privasset Archiepiscopus, liberum illi sibi discessum postulabant, quem summa tamen ille iniuria denegavit. Legati quidem exterarum gentium, ipse etiam Imperator Romano-Germanicus, eum monuerunt, ne contra leges imperii illos homines invitos retineret, sed neque his moveri se passus ille fuit, imo, ut exsules et criminibus damnatos, eos e ditione sua eiecit, bonis eorum omnibus publicatis (1).

In regno *Borussico* admodum etiam impedita est civium in exteras terras migratio. Universe, nunquam, nisi antea certiore de hac re facto imperante, discedere licet. Saepius etiam expressus eius consensus requiritur. Semper autem a migrante decima bonorum pars reipublicae aera-

Gött. 1788, et Leth, de eod. arg. eod. anno, citt. a Martens, *Europ. pos. Völkerr.* § 78. n. 6.

(1) P. le Clercq, *Geschied. der Vereenigd. Nederl.* Tom. I. p. 433 sq.

rario persolvi debet. Qua necessitate hanc Borussorum e patria migrandi libertatem maximopere coarctatam esse, satis apparet (1).

Quod leges *Anglicas* attinet, Magna Charta, a. 1215 a Rege Ioanne, cognomine *sine terra*, Anglico populo concessa, haec ipsa verba continet (2). „ In posterum cuivis liberum erit e regno excedere, et in illud denuo reverti, salva fide nobis debita". Assentitur de l'Olme (3). „ Leges Anglicae ab initio inde peregrinis manendi et discedendi potestatem liberam fecerunt; et cuivis civi plenam concesserunt de bonis et persona sua disponendi facultatem". Nec minus aperte huic sententiae favet Blackstone (4), quum dicit: „ Omnis civis Anglus potest habitare et degere in Anglia, quamdiu ipse velit". Habemus vero alius sententiae fautorem Ampl. Bynkershoekium (5), qui non uno loco expresse

(1) Meerman, *Berichten omtrent de Pruisf. enz. Mon. I. p.* 192. *Allgem. landr. für die Preusf. Staaten*, Part. II. tit. 17. c. 2. § 127 sqq.

(2) De Réal, *Science du Gouv. IV. p.* 541. Cf. Hume, *Histor. van Engeland II. p.* 111.

(3) *Staatsgesteldheid van Engeland p.* 237.

(4) *Comm. sur les lois Angl. I. p.* 202.

(5) Q. I. Publ. I. c. 22. inprimis II. c. 25. § 6. cf. de for. legat. c. 3. p. 440.

ſe negat, Anglis licere ſubditi conditionem exuere, et civitatem, ut libet, mutare. Imo eiusmodi hic excitat ex historia facta, quibus omne dubium tollere videatur. Adducit lites, quae inter nostrates et Anglos hac ipſa de causſa agitatae fuerunt. Tolli autem hic disſenſus potest, ſi animadvertimus, Regem posſe edicto vetare, *ne quis exeat regnum;* hoc caſu ſubditi non posſunt Anglia excedere, niſi impetrato Regis conſenſu. Magna Charta quoque libertatem migrandi negat, ſi bellum adſit, vel necesſitas publici commodi causſa id flagitet; item ſi gens, ad quam cives ſunt migraturi, populo Anglico ſit hostilis. Videtur ideo Bynkershoekius, libertatem migrandi Anglis non tribuens, existimasſe, univerſe prohibitum esſe illud, quod vulgo quidem licet, ſed quod nonnunquam peculiares ob causſas prohibetur. Facta igitur, quae quidem ille retulit, ita accipienda esſe videntur, ut Rex eo tempore reſcriptum dederit, *ne exeat regnum*, aut obtinuerit ea rerum ratio, qua discesſum e patria, ceteroquin liberum, impediendum cenſuerit ipſa lex Anglica. Sane illis temporibus, Nostrates inter et Anglos, continuae erant lites et bella; quocirca non immerito Angli civium ſuorum in nostras terras migrationem eo tempore impedivisſe videntur, non ex univerſa legis ſuae

dis-

dispositione, sed in casu exceptionis in eadem illa lege memoratae. Praeterea exceptio illa, quae pertinet ad regni commune bonum, satis vaga est, atque indefinita, ut facile hac in re ipsi forte Angli non semper sibi satis constiterint. Imo fuerunt, qui Anglos ideo carperent, quod cives ipsi suos eo excitaverint, ut patria exirent. Existimabant, oportuisse potius, ut eam migrationem prudenter legibus impedivissent, ne civibus Anglia exhauriretur (1).

De legibus *Francicis* more suo multus est de Réal. Antiquitus liberum erat civibus, quandocunque lubebat, in alias regiones se conferre, ibique habitare, relicta antiqua patria. Primus vero Ludovicus XIV. Edicto 13 Aug. 1669 capitis bonorumque poenam statuit, si quis Francus, venia ab ipso non impetrata, Franciam relinqueret, animo non revertendi (2). Idem dein Edicto mensis Octobris 1685 peculiarem legem tulit, de omni migrandi facultate iis adimenda, qui novis sacrorum formulis, quae post reformationem prodierant, adhaerebant (3). Me-

(1) Filangieri, *sc. de la legisl.* Tom. I. p. 58.

(2) Bynkersh. Q. I. Publ. I. c. 22. cuius Edicti dispositiones exhibet Merlin, *répertoire universel*, voce *Emigration* § 1.

(3) De Réal, Op. l. Tom. IV. p. 543.

Memorabile est, in historia patriae etiam nostrae, hoc Regis placitum, quo celebre illud Nannetense Edictum revocatum fuit. Scilicet erant eo tempore in Francia plurimi nostrorum civium, qui Protestantium partes sequebantur, quique a Rege Francico id solemniter pacti erant, ut libero fruerentur cultus Divini exercitio. Hoc quum negaret Rex, petierunt Nostrates, ut liceret sibi in patriam suam reverti; quas civium suorum preces merito adiuverunt Ordines nostri, qui dicebantur, Generales. Sed Rex Franciae his rogationibus prorsus se opposuit, neque eos non tantum detinuit e civibus nostris, qui iura nativitatis in Francia nacti erant, ibique habitabant; sed et ipsos nostros cives coërcuit, qui negotiorum et mercaturae caussa forte eo tempore in Francia degebant, non nisi paucissimis ab hac lege veniam concedens (1). Utrumque iniustissimum profecto facinus. Nam, etiamsi ceteroquin ii, qui alicubi nativitatis iura consecuti sunt, non magis facultatem migrandi habeant, quam ii ipsi cives, qui in eo imperio nati sunt (2); tamen aderant hic peculiares concessiones, ipsis naturalisationis, quae barbare dicitur,

(1) Wagenaar, *Vaderl. hist.* ad a. 1685. Tom. XV. p. 317. sq.

(2) Cf. von Martens, *pos. Eur. Völkr.* § 78.

tur, literis infertae, de cultu divino libero relinquendo; quod quum iis non permitteretur, inviti in Francia retineri non debebant (1). Leges illae Ludovici XIV, migrandi ita facultatem tollentes, vim fuam deinde retinuerunt. Benignitate Regis, aliquando venia migrandi impetrabatur, fed vel tunc eiusmodi addebantur conditiones, fecundum quas Francico imperio adftricti manerent discedentes. Valuit haec iuris conditio ad annum usque 1789. Quum vero eo tempore civiles turbae ingravescerent, et discordiis distraheretur Francia, quum everfo deinceps imperio Regio, commutata esfet plane regni ratio, tum feverae latae funt leges in eos, qui aliarum partium esfent, et patriam reliquisfent. Eo pertinet lex data 10 Augusti 1791. Brevi vero alia iterum fuccesfit iuris ratio. Eodem fcilicet anno, menfe Septembri condi-

(1) Fufe tota haec res expofita exftat in opere, *Negotiatien van den Grave* d'Avaux, V. 118. et fqq. VI. p. 11. fq. Dici posfint Franci non fatis fibi conftare, qui eo tempore contendant, cives nostros, ab iis receptos, Francos evafisfe cf. de Réal, IV. p. 594. fq. deinceps autem contra ftatuant, cives fuos, ab aliis receptos, Francos femper manere. *Confér. du Code civil.* I. p. 64-67. Sed non admodum mirum est, alio tempore aliud eos fenfisfe, prouti ipforum commodum ferret.

dita lex imperii cuivis concedit liberam abeundi, manendi, migrandi facultatem (1). Sequenti vero anno, in alia iterum omnia abierunt Franci. Eorum, qui migraverant, bona publicae administrationi subiici coepta sunt; deinde publicata, et vendi iussa fuerunt. Tandem perpetuo exsilio eos, qui patriam reliquerant, plectendos censuerunt, et ultimum iis supplicium minati sunt, qui spreto exsilio in Franciam redirent (2). Redolent sane hae leges, tristem et conturbatam plane rerum illo tempore conditionem. Deinceps rebus magis ad tranquillitatem compositis, humaniores evaserunt. Etiamsi enim emigrationis poenam omnino sustinerent, qui ante diem 4 mensis *nivose* anni 7 patriam reliquissent, poena tamen vacui declarati sunt, cum qui deinde migraturi essent, tum qui post sancitam legem imperii iam migrassent (3).

Tandem emigrantium causam omnem definivit Senatusconsultum, datum die 6. mensis *floréal* anni

(1) *Constitut. du* 3. *Septembre* 1791. Cf. *Art.* 5. *de la loi du* 18. *Sept. même année. La constitution garantissait „ comme droit naturel et civil, la liberté à tout homme, d'aller, de rester, de partir".*

(2) *Loi de* 28 *Mars* 1793.

(3) *Art.* 3. *loi* 12 *Ventose an* 8.

ni 10; quo redeuntibus in Franciam poenae venia concessa est, redditis iis, quae nondum vendita essent, bonis (1). Hodie lex Francica, cives ex imperio libere discedere, omnino sinit. Refertur enim ad modos, quibus quis civis esse desinat, „ *tout établissement, fait en pays étranger, sans esprit de retour* (2).

Leges etiam publicae libertatem migrandi, saepe non nisi deducta certa bonorum parte, concedunt, quod apud plerosque Europae populos in mores ivisse, novimus (3). Sic v. gr. Hamburgae civis, qui alio migrabat, decimam debebat cedere bonorum suorum partem (4). Hoc autem vectigal, quod migrantes solvere deberent, *iure patrio* plurimis in locis obtinebat. Vocabatur illud *regt van issue of exue* (5). Varia quippe erant in Belgio et alibi urbium privilegia, ex quibus illi, qui inde discederent, ali-

(1) Cf. Merlin, *répert. univ.* voce *Emigration.* Fleurigeon, *Code Administratif. Police v. Emigrés.*

(2) Art. 17. sect. 3. Cod. Civ.

(3) Heineccii, El. I. N. et G. II. c. 10. § 232.

(4) de Réal, l. c. p. 540.

(5) Noest, *Staatsr.* p. 209. Schorer, *Aanteek. op* de Groot, *Inleid.* I. 13. § 3. p. 91. sq.

aliquam bonorum suorum partem *voor exue of issue*, ut vulgo appellant, tenebantur solvere (1). Haec bonorum pars aliis in urbibus erat vel decima, vel quinta, vel vicesima, alio loco alia (2). Urbs Zierickzea tertiam partem exigebat (3). Ex Amstelodamensium statutis effici potest, non ab omnibus migrantis bonis vectigal illud ibi exactum fuisse, sed ab illis tantum, quae in ea civitate possidebat, quaeque inde secum esset vecturus (4). Quum vero aliquid hostile spirare viderentur hae exactiones, non uno modo hoc ius *Exue* coarctatum fuit, cum, quod plurimae civitates inter se paciscerentur, ne altera ab alterius civibus huiusmodi tributum exigeret (5), tum, quod illud vectigal postea non amplius exigi coeperit ab iis, qui solum verterent, sed a peregrinis tantum, ad quos bona hereditaria civium nostrorum pertinere incipiebant. Frequentia quoque sunt pacta a Nostratibus cum exteris principibus conven-

(1) Bynk. Q. I. Publ. II. c. 25. § 7.

(2) Zurck, Cod. Bat. voce *Exue*, num. 1. de toto hoc argum. vid. Arntzen. Instit. I. Belg. I. p. 181. tit. 12. § 8.

(3) Schorer, *over de ongerijmdh. in de praktijk* p. 81.

(4) Wagenaar, *Amsterd.* X. p. 60-68.

(5) Wagen. l. c. p. 64-67. Zurck, l. c. n. 2.

venta, quibus omne ius detractus, gabella hereditaria, et census migrationis, quae alter ab alterius civibus exigere posset, abrogantur (5). Sensim itaque hoc vectigal ex usu nostro recessit, vel expresse etiam sublatum penitus fuit. Nec tamen iure nostro antiquo, hoc vectigal unice coarctabat discedendi facultatem e civitatibus nonnullis. Erant alia etiam, quibus libertas migrandi permultis in locis coarctabatur. Sic saepe non licebat civi, alio migrare, nisi per aliquod certum et definitum tempus in istiusmodi urbe habitasset (6). Imo non omnino deërant civitates, ubi non tantum discedere cives prohibebantur, sed ii etiam, qui iam migraverant, gravi nonnunquam poena statuta revocabantur (7). Sed haec attigisse sufficiat: plenius haec persequi a proposito nostro alienum est. Proprie enim ea, quae attuli, pertinent ad domicilii mutationem, ex alia patriae nostrae urbe in aliam, non vero ad discessum ex ipsa pa-

(5) Cf. Bynk. l. l. Pertinent huc quoque conventiones illae, a Rege nostro cum Hannoveriae Rege, Duce Mecklenburgiae, aliisque principibus contractae, de quibus vide *Nederl. Staatsc.* 4 Nov. et 26 Decemb. 1816.

(6) Arntzen. Instit. I. Belg. I. p. 168. tit. 11 § 13.

(7) *Beschrijv. van Oudewater*, p. 401. sq.

patria terra. Sed quod ſupra de Romano imperio obſervavimus, idem ratione patriae nostrae illo tempore valet. Etenim ea tunc illius ratio erat, ut urbes et civitates ſua ſibi propria iura haberent, et peculiarem adeo quaſi patriam conſtituerent ſingulae. Sic altera civitas ratione alterius quaſi extera quaedam regio conſiderari poterat. Et haec fuit causſa, cur nonnulla de hac etiam re dicenda viderentur.

Quodſi quaeratur de migrandi facultate ex patria nostra in peregrinas regiones: „ In Belgio certe foederato non est lex, quae impediat, quominus liceat in alterius principis imperium tranſire, imo et militare licet ſub principe illo, qui patriae novae praeest (1). In Belgarum itaque finibus nemo invitus manet (2)." Hodieque, ſecundum leges illas, quas etiam nunc cum Francis communes habemus, libera apud nos quoque est discedendi e patria facultas (3).

De praecipuis causſis impeditae illius libertatis.

E multis, quae ad causſas hasce referri posſunt, praecipua tantum quaedam exponemus.

Nonnunquam prohibitae migrationis nulla po-

(1) Bynkersh. Q. I. Publ. I. c. 22.

(2) Pestel, Comm. de Rep. Bat. § 82.

(3) Art. 17. ſect. 3. Cod. Civ. ſupra cit.

potest inveniri alia ratio, nisi quod omni sublata libertatis civilis notione, subditos suos servorum instar sibi proprios esse iudicet imperans, eosque imperio suo, veluti carcere inclusos, in perpetuum retineat. Haec solet esse Orientalium regnorum conditio.

Saepe tamen aliae exstant, eaeque probabiliores caussae prohibendi e patria discessus. Huc pertinet metus, ne civium numerus migrando nimium minuatur, et civitas ita debilitetur. Prouti enim ex officinis artificum meliora solent opera prodire, si maior est numerus operariorum, qui coniunctim operi perficiendo incumbunt; sic etiam, quando maior est civium numerus, qui commune bonum provehant, felicior futura est reipublicae ratio.

Potest quoque imperans artificum et operariorum frequentem discessum impedire. Sic enim rerum ad vitam utilissimarum defectus oriri posset: sic artes et opificia vel male tractari, vel omnino negligi inciperent. Quod quidem damnum ut a civitate avertatur, iure meritoque princeps cavebit, *et* eorum migrationem prohibendo, *et*, quod potius etiam est, curando, ut honeste vivendi occasio in patria iis non desit, et opportunitas illis detur, ex arte atque operibus suis honestum lucrum faciendi (1).

Ex

(1) Vattel, *Dr. des Gens* I. c. 6.

Ex eadem ratione, si civitas in rerum angustiis versetur, et pecuniae adsit indigentia, qua respublica queat sustentari, divites, ut ne e patria discedant, merito coguntur. Idem dicendum videtur de mercatoribus, si ex frequenti eorum discessu metus sit, ne mercaturae sedes e patria alio transferatur.

Vidimus supra, ipsam obligationis civilis naturam, ut intempestivam et pacto civili contrariam, prohibere migrationem civium, tempore belli eo consilio susceptam, ut se exsolvant obligatione civitatem defendendi. Iure itaque princeps illorum discessum impediet, inprimis, si migrare velint ad ipsos illos peregrinos, quibuscum nobis bellum est, ne ceteroquin migrandi praetextu patriae proditores fieri possint. Nam qui iusto et legitimo bello patriae detrectet defensionem, non tantum iners erit et ignavus dicendus, sed et sanctissimum violasse patriam tuendi officium, iure meritoque censebitur (1). Ita fit, ut minime rara sint edicta, quibus belli tempore vetitum fuerit civibus, civitatem deserere. Sic lege Wisigothorum, (2) capite plectitur, qui „ ad adversam gentem vel ad extraneam partem

(1) Barb. ad Grot. II. c. 26. § 5. sect. 2. not. 3.

(2) II. c. 7. ap. Heinecc. Corp. iuris German. p. 1860.

tem perrexit, ſive perrexerit, aut etiam ire voluit, vel quandoque voluerit, ut ſceleratisſimo auſu contra gentem Gothorum vel patriam ageret, aut fortasſe conetur aliquatenus agere".

Nec alia est ratio eorum, qui gregatim e patria alio migrant. Quodſi enim inde ſocietas civilis damnum patiatur, nullum est dubium, quin hanc libertatis coarctationem, ipſo etiam civili pacto iusſam, lege confirmare queat princeps (1).

Saepe etiam, per diverſas res et tempora, libertas migrandi optimo iure coarctatur, imo penitus tollitur. Sic in urbe, hostium vi undique obſesſa, aliquando merito impediet militiae praefectus, quominus quis urbe excedat. Sic ſi qua in civitate pestis grasſatur, aliusve morbus gravior epidemicus, principis est vetare, ne quis civium alio ſe conferat; hoc enim tantum modo contagio morbi arceri poterit. Quin etiam ſolet fere poena mortis ſcribi in eos, qui tali loco, peste infecto, excedant.

His itaque exempli causſa enarratis praecipuis coarctatae per leges migrationis causſis, breviter videndum, qua ratione optime videantur caveri posſe incommoda et detrimenta, quae e

(1) De Felice, *Dr. de la N. et des Gens.* Tom. III. p. 149.

e nimis frequenti civium migratione civitas pati possit.

Hominum vero gentiumque saluti bene consuli, minacibus illis regum edictis, quibus libertas migrandi, gravissimis etiam statutis suppliciis, civibus adimatur, haud profecto existimamus. Acerbae leges a Ludovico XIV latae, migrationes e Francia non coërcuerunt, sed per easdem illas leges, et revocatum Edictum Nannetense, Francia civibus exhausta fuit.

Aliud igitur suadent sanae prudentiae civilis praecepta. Tot sunt et tam fortia vincula, quibus in patria sponte nostra tenemur, ut non facile quis sine idonea caussa alio videatur migraturus. Maiores nostri in ea floruerunt, parentes in ea habemus et liberos nostros, est in ea rerum nostrarum fortunarumque sedes, cives nostros magis nobis benevolos, quam peregrinos experimur, eadem habentur studia, iidem mores, sensus iidem, opiniones, religiones. Haec tanta sunt, ut nemo facile in peregrino solo oberrare, quam in patria terra felix esse malit. Et vero

„ *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*
„ *Ducit, et immemores non sinit esse sui*". (1)

Prae-

(1) Ovid. Ep. ex Ponto I. Ep. 3. vs. 35. sq. Cf. verba Furii Camilli, apud Liv. Histor. V. c. 54.

Praeterea, si quam ob causfam subditi ad discedendum e patria invitentur, vix illi vi retineri poterunt. Quo severior fuerit prohibitio, eo maius id iis erit ad migrandum incitamentum. Optima via, qua eorum discesfus cohiberi posfit, ea profecto erit, qua tanta civibus praebeantur vitae commoda, tanta felicitas, ut perspiciant sua ipsorum interesfe, ut in patria degere pergant (1), „ et hac quidem via, primum cives aliunde princeps alliciet, deinde quos potestati suae subiectos habet, eos certius, quam edictis minacibus retinebit, deficientibus migrandi causfis." (2) Hanc felicitatem quando civibus suis civitas praestat, videntur ipsa naturalia praecepta sufficere, quae migrationem e patria satis coarctent, nec opus esfe videtur alia lege positiva, nisi quae simpliciter confirmet iuris publici naturalis hac in causfa principia. Non diffiteor esfe (3), qui, etsi existiment libertatem migrandi e civitate omnino dari oportere, pu-

(1) Egregie haec principia persequitur auctor operis *Princ. de la legisl. univ.* Tom. I. p. 175. sq. item Barbeyrac, ad Puff. I. N. et G. VIII. c. 11. § 4. sect. 1. cf. Wolff, *Staatk.* II Deel. 6 Hoofdst. § 483.

(2) Pestel, Additam. § 107. in fine.

(3) Vattel, *Dr. d. Gens* I. c. 19. § 222.

putent tamen, in republica bene constituta ferri non posse; ut civibus, quandocunque velint, nulla reddita discessus caussa, migrare liceat: imo etiam arbitrentur, hanc, quam vocant, licentiam esse non posse, nisi in eiusmodi regione, quae necessariis vitae careat, et eiusmodi in civitate, quae civium felicitati prospicere nequeat. Existimant itaque illi, hanc libertatem lege positiva admodum esse coarctandam. Sed aut fallor, aut ea, quae proposui iuris naturae principia, et civitatis saluti, et commodis civium, et denique societatis civilis conservationi satis prospiciunt. Itaque in ea civitate, qua cives sui tutela atque defensione gaudent, qua quiete rebus suis et fortunis uti possunt, ibi nulla est ratio, cur libera manere non possit civium e patria migratio, quatenus haec libertas ipso iure naturali civibus concessa fuit. Veruntamen possunt omnino, ut civitati consulatur, nonnulla addi, quibus eius facultatis exercitium definiatur; veluti ut is, qui patriam est relicturus, hac de re Magistratum legitime certiorem faciat. Possunt etiam pecularia existere huiusmodi rerum momenta, ut ipsa migrandi facultas coarctanda sit. Sed si haec non adsunt, universe recte dicitur ipsa migrandi facultas per legem positivam tollenda, vel impedienda non esse.

An omnia iura et officia, et civis et patriae, post migrationem penitus intereant?

Alii in hoc argumento tractando aliter sentiunt, prouti magis minusve liberae civium migrationi favent. Sic, qui omnem civibus e patria discedendi facultatem denegant, non possunt non quoque statuere, per migrationem, utpote illicitam, nequaquam interire civis et civitatis officia atque iura. Sic putant aliqui, cives discedentes ideo non liberari obligatione civili, quia ius dominii, quod fingunt, imperantibus adimi non possit (1). Alii item negarunt, per migrationem legitime aliquem solvi posse, obligatione sua erga patriam priorem, putantes civem eum manere in veteri republica, incolam eum tantum fieri in regione, quo postremo habitatum ivit (2). Scilicet non pauci iuris publici interpretes vetustiores ius civile Romanum considerabant, ut iuris etiam publici fontem (3). Ita factum, ut, quod hac in caussa

(1) Huber, de Iure Civit. II. sect. 2. c. 1. § 32. Heinecc. ad Grotium, II. 5. § 24.

(2) Vid. ap. Huber, l. l. § 29. sq.

(3) Quem errorem notat Montesq. *Espr. d. Loix XXVI.* 16. „ *Qu'il ne faut point décider par les*

ſa, ratione municipiorum conſtitutum erat (1), hoc ad ipſas liberas civitates et respublicas transferrent. Verum facile intelligitur, non tuto e iure Romano argumentum peti poſſe de eo, quid ius publicum naturale velit: cum quia mali doctores iuris Gentium Romani fuerunt, tum quia ſaepe in iure Romano agitur de ſolo iure civili, et de re, quam maxime diverſa ab ea, quae ex iure Gentium naturali debeat declarari, quod hoc etiam loco obſervatur. Multum enim interest inter eum, qui in eodem imperio duobus in municipiis iure civili utitur, et alium, qui in duobus diverſis imperiis vel civis vel incolae iure gaudere dicitur (2). Haec et ſimilia argumenta miſſa facere licet. Nos vero primum inquiremus, an iura civis et obligationes civitatis post migrationem intereant. Deinde explorabimus, an obligationes civis, et iura civitatis eodem illo modo pereant.

Qui

les règles du droit civil, quand il s'agit de décider par celles du droit politique."

(1) l. 29. D. ad municipalem l. 1. et 5. C. de municip.

(2) Huber, l. l. § 24. ſq. cf. Grot. II. 5. § 24. n. 1. ibi Barb. Leyſer, ad D. ſpec. 662. X. p. 634. cf. Bynkersh. de foro Legat. c. 6. p. 461. ſq.

Qui ſponte alio migrat, ſemper *amittit iura ſua in patriam*, adeoque patria iure perfecto libera eſt ab omnibus iis obligationibus, quibus illa erga cives ſuos adſtricta eſt. Etenim qui ſponte civium numero ſe exemit, deinceps nequaquam arrogare ſibi poteſt eiusmodi iura, quae civibus ſolis competunt, quaeque ille ſponte abdicavit. Quodſi quis optime de patria ſua meritus fuerit, perfecta quidem officia pariter ceſſant, etſi accepta beneficia remunerare imperfecto iure teneatur reſpublica.

Quod vero attinet *officia civis et iura patriae*, videtur diſtinguendum eſſe inter eos, qui iure ſuo, nulla prohibente lege, vel conſentiente ſummo imperante, e patria diſcedunt; et alios, qui contra legem, ſive naturalem, ſeu poſitivam migrant, modo huius ferendae poteſtatem cives et dederint, et dare potuerint. De ſingulis videamus.

Ii, qui *permittente lege patriam relinquunt*, omni videntur ſolvi perfecta erga patriam obligatione. Nullum ſupereſt in eos veteri patriae ius perfectum (1). Omne ſcilicet ius, quod ab alio quodam iure vel re pendet, perit cum ipſo illo iure vel re, quacum cohaeret. Iccirco

(1) de Felice, *Dr. de la N. et des G.* Tom. III. p. 149.

eo ius civitatis in cives ſuos, quod ex pacto civili oritur, perit, quoties cives iure et legitime illo ſe pacto exſolvunt. Officia ſic ſocietati alicui praeſtanda pereunt cum ipſo vinculo, quo ſocietati illi adſtringimur: „ hoc igitur vinculo ſemel legitime ſoluto, pristinae civitati nihil amplius iuris in civem demisſum competit" (1). Pactum illud, quo civitas defenſionem, civis obedientiam promiſerunt, ſolutum est.

Haec ita dicta ſunto de officiis perfectis, quae nulla amplius patriae debent, qui eâ exceſſerunt cives.

Aliter paulo de imperfectis civium officiis ſentiendum esſe videtur. Antiquae enim patriae omnia debemus bona nostra: quippe accepimus ab ea omnia vitae commoda. Defendit illa nos et tuita est adverſus omnem quietis, felicitatisque nostrae perturbationem. Haec accepta beneficia ad gratum animum, i. e. ad officia imperfecta praeſtanda civem obligant, etiam quando patriâ iam excesſit (2).

Principia, quae propoſui, populorum historia non raro confirmata reperiuntur: ſaepius tamen eti-

(1) Titius ad Puff. de O. H. et C. II. c. 18, § ult. nota g.

(2) Ita accipiendus est Perreau, *Elémens de législ. natur.* p. 124.

etiam, populos et principes ab iis recessisse, eadem docet historia.

Romanis, teste Cicerone (1), haec erat iusta regula, „ ut duarum civitatum civis esse nemo possit". Sic fiebat, ut cui aquà et igni interdictum erat, hic omni erga veterem civitatem obligatione plane solveretur. Migrabat enim volente, imo iubente populo, quocirca merito iis liberabatur officiis, quibus antea suae civitati adstrictus fuerat. Eam ob caussam putant (2) nonnulli, iuste Coriolanum adversus urbem Romam bellum gessisse, quia patria eum eiecerat, et vinculis mutuae obligationis ipsa sic sese exuerat.

Recentior autem historia exemplum quoddam praebuit perquam illustre, Patkulii cuiusdam, nobilis Livoniensis (3), qui adolescens adhuc, venia a rege impetrata, Sueciam reliquerat. Hic deinde Saxonum, in bello contra Suecos, dux, captivus, iussu regis, quasi civis esset Suecus rebellis, ultimo supplicio affectus fuit. Injustissi-

(1) Cic. pro Balbo c. 11.

(2) Leyseri, Medit. ad D. spec. 662. in fine. cf. Livii, Hist. II. c. 35. sqq. de quo tamen Leyseri iudicio in utramque partem disputari possit.

(3) Rem totam enarratam vide apud Vattel, *Dr. d. G.* § 220. sect. 2. nota.

ſimum profecto facinus. Patkulius enim, conſentiente rege, iure patriam mutaverat. Ceſſaverant ſic officia, quae erga veterem illam patriam antea praeſtare debuerat, et novam nactus, pro hac ſummo et optimo iure arma ſumſerat.

Non plane etiam propoſitis his principiis adhaeſiſſe videntur Francici legum conditores. Hi de eo homine loquentes, qui, relicta Francia, pro nova patria ſua arma adverſus Franciam geſſit, ita fere ratiocinantur, quaſi gratiam illi faciant, quod ultimo eum non afficiant ſupplicio (1). Sed quam illi gratiam putant, revera est iuſtitia. Nulla enim poena affici debet, ſi is, qui ſinente lege e patria discesſit, dein adverſus eam militavit, quia nulla amplius civili obligatione erga eam tenetur, qui eius imperio non amplius ſubest.

Haec ſufficiant de illis, qui, volente lege, aut conſentiente imperante, e patria migrant. Videndum nunc de iis, qui *contra legem civitate excedunt.*

Videntur hi non liberari obligatione civili, etſi ex voluntate ipſi ſua amittant omnia iura, quae ſibi in civitatem antea competebant. Civitas ergo in poſterum eam ipſis defenſionem, qui-

(1) Cf. Maleville, *Anal. raiſ. du Code.* Tom. I. p. 35.

quietem et tutelam praeſtare non debebit, quam civibus ſuis illa debet. Videtur autem civitas ſua retinere in illum civem iura, qui ſecundum legem naturalem, aut conſtitutionem publicam civitatis, iniuria patriam reliquit (1). Nam noluit civitas ius ſuum in civem abdicare; quod ex lege eius migrationem prohibente apparet; nec tamen ius civitati invitae adimi potest. Istiusmodi itaque migratio non inepte comparari poſſit cum diſpoſitione illa iuris civilis, qua is, qui callide et intempestive ſocietati renunciavit, commodis omnibus privatur, ſed damnorum tamen ſuam fert partem (2).

Haec de eo, qui migravit, quum leges hoc omnino vetabant. Alia erit cauſſa, ſi, non plane prohibita migratione, poena quaedam ſcripta ſit in eos, qui ita migrant. Tunc enim plane quidem etiam intereunt civilia iura, ſed ſoluta et praeſtita poena, antiqua civitatis iura denuo recuperari poſſint.

Eorum, qui contra leges e patria migraverunt, Bynkershoekius (3) exemplum adduxit, quod ſupra iam attigi. Scilicet cives Angli, qui ſae-

(1) de Felice, *Dr. de la N. et des C.* Tom. III. p. 149.

(2) § 4. Inſtit. de ſocietate. l. 65. § 3. ſqq. D. pro ſocio.

(3) Q. I. Publ. c. 25. § 6.

ſaeculo 17, in noſtras terras habitatum venerant, patriam reliquerant, lege id vetante, ſive istiusmodi rerum cauſſae, veluti bellum, obtinerent, quae ſecundum legem publicam migrationem impediebant, ſive Rex eo tempore dediſſet reſcriptum, *ne exeat regnum.* Ideo Angli non deſierunt eos, ut ſubditos et cives ſuos conſiderare, et illos Maieſtatis damnaverunt. Pariter, ex cauſſa utilitatis publicae, ſeu communis regni boni Magnâ Chartâ memorata, repetendus videtur mos Anglorum, in medio aliquando mari naves exteras perquirentium, num forte inter nautas ſint, qui in Anglia nati ad ſuos pertineant cives; hos repertos, etſi alibi civitatis ius impetraverint, ſibi tamen, ut ſuos ſemper cives vindicant, illud tenentes hac in cauſſa principium: „ Anglus ſemper Anglus manet" (1).

Ex dictis facile etiam intelligitur, quaenam ſit in cives migrantes literarum, quae dicuntur, *Avocatoriarum* vis, quibus civitas monet, et iubet civem ſuum, qui alio ſeceſſit, ut in patriam redeat. Obſtringent hac omnes illos, qui contra ius et fas patriam reliquerunt. Sed nulla

(1) *Voyage d'un Franç. en Anglet.* Tom. I. p. 344. ſq. Tom. II. p. 395 - 397.

la erit earum efficacia, ratione habita eorum, qui ex naturae et positivae legis praeceptis, iure suo usi, e civitate discesserunt (1). Inprimis huiusmodi literae mittuntur ad eos, qui, non consentiente civitate, militiae peregrinae ad tempus se adscripserunt. Hoc casu sine dubio reverti debebunt cives nostri, aut rebelles et hostes patriae merito iudicantur (2).

Absolvi sic, quam susceperam, huius quaestionis explicationem. Longior aliquando fui, quam et ipse voluerim, et huiusmodi forte dissertationis proposito conveniat. Sed non potui non, quae ad ius in primis naturale referuntur, accuratius exponere, quum viderem, in eodem tractando argumento, aliquando iura positiva a legum naturalium consideratione non satis fuisse separata. Non raro enim, non ex naturae solis legibus res definita reperitur, sed vulgo hoc attenditur tantum, an legislator *pos-*

sit

(1) Puffend. I. N. et G. VIII. c. 11. § 3. De Felice, *dr. de la N. et des G.* Tom. III. p. 149.

(2) De Réal, *Science du Gouv.* Tom. IV. p. 552 sq.

sit migrationem lege impedire. Videntur autem ius positivum, et facultas ferendi legem positivam, ab ipsis dispositionibus iuris publici naturalis omnino esse seiungenda. Praeterea tot erant ab interpretibus motae quaestiones, et tantas reperiebam in iis definiendis eorum dissensiones, ut longior paulo esse cogerer, quando omnes, quae mihi occurrebant, factorum species principiis universe positis comprehendere conarer. Quod tamen quum tentaverim, accuratior rerum consideratio, et perspicuitatis cura nonnunquam me brevem esse non siverunt. Ea enim solet esse disquisitionum, de iure inprimis naturali ratio, ut, nisi dilucide et perspicue ipsam scriptoris sententiam enuncient, aequo ipsarum iudici diiudicatu difficillimae sint habendae. Quatenus autem propositae quaestioni nos satisfecerimus, iudicium eorum VV. Cll. declarabit, qui hoc argumentum ad publicam studiosorum disceptationem proposuerunt.

BERNARDI NIEUHOFF

O R A T I O,

PRO

NOSTRA AEVI HORA, HUMANITATIS, FELICIUS AMPLIFICANDAE, PRAENUNCIA,

HABITA HARDEROVICI,

DIE XXV IUNII MDCCCXVII,

ATHENAEI NATALI.

„ *Me vate mox iras perosis*
„ *Secla fluent meliora Belgis*",

M. C. Sarbievius.

O R A T I O.

QUI MIHI, ANNIVERSARIA PALLADIS SACRA CELEBRATURO, ADESTIS, VESTRAQUE PRAESENTIA HOC ATHENAEI NOSTRI FESTUM CONDECORATIS!

VOS, INPRIMIS, VIRI PERILLUSTRES, INCLYTI ATHENAEI MAECENATES, HUMANITATIS DECORA!

ET VOS, DOCTRINARUM PROFESSIONE PRAECLARI, TOGATI MUNERIS SOCII AESTUMATISSIMI, HUMANITATIS ANTISTITES!

ET QUOTQUOT MINERVAE ARAM ORNETIS, SIVE MUNERUM SANCTITATE REVERENDI, SIVE PACIFICA TOGA, MARTIALIVE SAGO SPECTABILES, SIVE SCIENTIARUM ARTIUMVE CULTU HONORANDI!

AUDITORES NOBILISSIMI, HUMANITATE POLITI!

O Tempora! o Mores! Quorſum tandem vergitis homines! qui, neſcio quo ſpeculatricis

 cul-

culturae numine inflati augures, iactitantes rationem et moralitatem, iactitantes iustitiam et religionem, iactitantes ſapientiam, morumque probitatem, fidem, animique candorem, castam legum et aequi reverentiam, bonique publici curam ſanctam, iactitantes aurea ex Hesperidum hortis mala, humanitatisque, felicius amplificatae, profectus inauditos, nos cenſetis, nunc denique natos, felices!

Et, quis ille, quem non circumvallent castra dolorum! Quem mihi dabitis, qui non illacrymetur temporum nostrorum iniquitati! Cuius vitae gaudia non dispellant, hinc domestica, illinc publica mala! Qui non, flebiles repetendo naenias, ingemiſcens accinet Lyrico:

Damnoſa quid non imminuit dies!
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Haec, haec una demum est rauca civium, haec anhela populorum vox, ſurdo malorum ſenſu excita. Hanc reboat caſa plebeia, inedia preſſa, marmoreumque palatium, luxu ambitioſo ſplendide miſerum.

Hanc

Hanc resonat in familia rara fratrum gratia, hanc in civitate hospes, non ab hospite tutus.

Ad hanc emugit miseriae domus, ferri stridore, horrido catenarum strepitu, crudisque mancipiorum vulneribus.

In hanc erumpit docta cohors, rediturae barbariei praesaga, doletque sanctior vatum chorus repudiatam patrum auctoritatem.

Hanc concitat vastatrix Bellona, rapto vivens, horrente cive licentiosam praedandi libidinem, horrente colono conculcatam segetem, horrente populo aerumnarum saevientis ferri et ignis agmen.

Et hanc elicit furens dominandi ausus, subdola suavis patriae amoris simulatione, foedum obtegens proprium amorem, aestuansque implacabili seditionis monstro, quo saeviente, „Francus vocat in certamina Francum." Vipereoque istius contagio, quot, quantaene prodierunt regnantium populorumque calamitates? calamitates, an unquam superandae?

Ad humanitatem, hominis decus, metamque, hac in vitae periodo summam, tendere hominem, dictitat speculatrix schola, meditationum

ſuada, pulchre colorata, ſuperbiens. Quis iste, tantum qui non deveneretur decus, ad tam ſublimem qui non adſpiret metam!

Sed quam deploranda tua, O humanitatis cultor! ſors, modo tibi, mi Humane! dolenda ſatis, cum decus tam ſublime, metam adeo celſam reſpicias, ut reſpicis in vitae ſpeculo adulationis neſcio, tantum non in dies retrogradam! cum reſpicias, ut reſpicis in vitae theatro, hominem per vaſtum opinionum oceanum iactatum, et circumagitatum, qui, ſurgentibus undis, ad nobiliorem veri, pulchri, boni cultum adſpirare videtur; cuius vero humanitatis gloria, ſubſidentibus iisdem, tantum non ſepulta iacet.

In homine reſpicere datum eſt hominem, in ſui opprobrium, in aliorum perniciem pronum, humana pariter ac divina perfringentem. In obſcuro improbitatis cum tyrannide et discordia triumviratu, parantur civium libertati vincula et laquei, piaeque fraudes in Druidarum coetu.

Quid, quod ipſum humanioris culturae numen non ſit diſcriminum expers. Quis obſecro, cui, ex tot mille uni, contigit radians id intelligentiae lumen, radians ille ingenii ſplendor,

ani-

animi sensum movens, excitans, pectusque inflammans, quo vigeat generoso incoctum honesto, spectetur que recte agendo! Non sinceram humanitatis, at fervide suam agere caussam: sic, sic fert seculum, culpae fecundum.

Digladiantes conspicitote cultioris humanitatis propugnatores, hos purioris rationis oraculo subiicientes humana, atque divina; illos sensum constituentes veri, bonique censorem; illos ex interno, at quam alto! sapientes mysticae sapientiae fonte. In excelso isto culturae theatro applausus comitatur rationalismum et materialismum, indifferentismum et egoismum, libertinismum et mysticismum, dogmatismum et scepticismum. Eaque haud raro speciosa castae religiositatis umbra obvelantur.

Sed et quoties mire culta laudantur ingenia, illa scilicet, quae arte pollent scite simulandi, et dissimulandi, fasque nefasque tuendi, et extenuandi. Luxurientibus his ingeniis quandoque cedere debet veritas, moralitas, religio.

Ne non dicam de diviso, inter eruditorum ordines, doctrinae cultioris imperio. Philosophiam ad ancillaria dimittit munia theologia domina; huiusque dominatum parum curat

The-

Themidos antistes. Quem fugit tetrum medicorum opprobrium: tres medici, duo athei! Quin et apud ipſos humaniorum praecones humanitatis ara inornata friget.

Neque haec ſunt avita, multo minus ex vagis priscorum traditionibus, conquiſita lamenta. Haec, ſed quis cuncta enumerando est? Spiscescunt haec aerumnarum ſpectacula, ut nubium agmina. Haec omnem perſonant vitam. Hos gemitus extrudit, quin effundere cogit, nostra, adeo mire culta, aevi hora. Eorumque ea est vis, ut ſolitudinem quaeret ſapiens; ut ſine teste dolens malorum Iliada, fractusque calamitate, inlacrymetur aevi invidiae.

Profecto, ſi antiquitatis incanae auctoritas, ſi plurium, in aevi horam declamantium, (horum vero, qui opinanti oraculo ſacros, coeca fide, libant honores, legio quam numeroſa!) conſenſus, haud ambiguus, intemeratum praeſtaret veri patrocinium; ſi quascunque hominum querelas, haud raro intempestivas, ſi quorumvis vellicationes, haud raro ineptas, ac male ſanas, cumulare liceat; ſi rauci moroſae pervicaciae clamores aeſtimandi ſint, nec iure, nec ratione destituti: quis ille, qui vel ſomniare foret auſus

de

de temporum felicitate, quid dicam, de eadem, nostra aevi hora amplificata, deque nostri aevi genio, ad meliora nato! Fallor, an proborum optimum a Simonideis non temperet lacrymis; lacrymis lacrymas urgentibus, infausta temporum iniquitas, in dies iniquior. Animosissimo quid superesset, nisi ut ingemiscat humanitatis genio, lethargo inexpugnabili occupato.

Et, si quis, ego profecto! haud diffiteor, obvia esse neutiquam pauca, pio et aequo fatorum censori merito illacrymanda, durae iniquitatis plena! obvia esse, eheu! nimis multa, in aevi cultioris dedecus, in gliscentem civium perniciem, in tetrum regnantium opprobrium; probrosae perversitatis flagitia, humanitate, eaque hodie ad tantum culmen ducta, prorsus dedigna, sine piaculo abominanda.

Et, si quis, ego acerbo me sentio affectum dolore, tam densum adhuc vagare errorum, tam densum malorum agmen, tam atram adhuc morari cives, morari populos, quin Europaeos, opinionum, temere conceptarum, morumque intemperatorum, atque calamitatum, inde manantium, nubem; idque in tanto ingeniorum adeo excultorum lumine!

Vel

Vel ſic tamen, ſi quis, ego vereor nullus gratisſimo laetantis animi ſenſu, fauſtos celebrare noſtrae diei in meliora progresſus. Nullus vereor, invitis eorum, qui aevum increpant, expoſtulationibus, ut ut non omni ex parte moroſe effictis, aut promiscue vituperandis, noſtrorum temporum celebrare felicitatem.

Crebrique iſti querulorum queſtus, ut ut rauci ſonent, nec tamen, ſi non cum aliquo favoris, ſaltem indulgentiae ſenſu, ſunt excipiendi. Contueamur aegrotantes hos, medicorum exemplo, mali moralis ſenſu percitos; contueamur, in hoc ſenſu, conſtitutionis, aegritudine fractae, nec desperabundae, omen, haud infauſtum. Contueamur et in iis, quod quantumve ſuperſit ad expoliendam humanitatem! Ea denique A. A.! his non intempeſtiva ſit animadverſio. Admirari ſolent homines priſci aevi mores. Disperierunt quippe, ſpisſa ſub umbra, mentis, animique morbi, aeque ac ingrata vitae incommoda: noſtri aevi mala, pleniori luce colluſtrata, et in apricum prolata, ac ſi praeſentia, cernuntur. Illa ſi cogitentur, haec ſentiuntur.

Sic denuo nullus vereor, Naſoni accinere:

„ *Pris-*

„ *Prisca iuvent alios, ego nunc me denique natum*
„ *Gratulor*".

Mihi gratulor, vobisque cunctis, A.A. humanisſimi! *praeſentem aevi horam, humanitatis, felicius amplificandae praenunciam.*

En vobis feſti huius ſermonis argumentum. Idque ſpero, quin confido, vobis probabile, illuſtri procerum, humanitatis praeſidum, ſolemni virorum, humanitatis cauſſam agentium, ſplendidae auditorum, humanitatis ſtudio flagrantium, panegyri, nec ingratum, nec intempeſtivum, fretus cauſſae, pro qua milito, gravitate, argumenti pulchritudine ac ſuavitate, nec non habitu, ad animum erigendum atque nobilitandum perquam inſigni.

Quo in argumento, aeque ac ſpeculo bene fido, reſplendet ſanctisſimi hominum Rectoris ſapientia et amor. Neque minus eo nos vocat pia providentiae meditatio, et reverentia. Anxius iſte animi planctus divinitati eſt iniurius. Eo nos vocat divinitus ſancita hominis deſtinatio, illudque ipſi inſitum ſtudium ſine fine enitendi ad ampliorem, homini non terminandam, perfectionem; ſummum illud humanitatis privi-

le-

legium! Eo denique nos vocat intemeratum historiae hominis oraculum.

Tanta vero argumenti sublimis amplitudo, tantum ipsius momentum ac decus, me dicturum haud parum reddunt sollicitum. Ut ut enim vix aliud noverim effatum, me magis alliciens, intimumque animi sensum movens; ut ut hoc ipsum mihi, in numeroso annorum decursu, sese passim obtulerit, ultro obvium pieque demirandum; ut ut id ipsum mihi, in lubrico rerum privatarum aeque ac publicarum vicissitudinibus, neque enim tristi caruit nube nostrae vitae orbis, nunc solatium attulerit, nunc refugium obtulerit: huic ipsi tamen animi sensui, humanitatis decus si expendam, si expendam sublimes sanctasque providentiae gubernatricis vias, me oratorem persentio, nimis imparem.

Hominem ecce Vobis, artis dicendi, vestris auribus congruae, parum peritum, in comptiori Attica, in puriori Latio, tantum non hospitem. Quid magis! respicitote canos, occiduamque senectutem, gelidam, invalidam, ad opus tarde surgentem! in senium qui, fatorum gravidum, vergens, languentem experitur aetatis vigorem, viresque ingenii quassas. Disperiit, si quae

quae fuerit fandi gratia, eloquiique nitor. Labascit memoria; neque oculis ampla humanitatis arva collustrare iam licet. Temerarium censerem perorandi ausum, ni mihi, breviter et plane dicturo animum firmaret benevola vestra facilitas, favorque largus. Suggerat, obsecro, sermonis argumentum, huiusque gratia, quae desunt sermonis nitori, de eo, quod in homine pulcerrime nitet, habendi.

Neque enim usquam nitidius splendet homo, quam ante humanitatis aram culturae face coruscam, calente benevolentia odoram, aequitate ornatam. Ecce in mundi cive, mundi ornamentum, sublime naturae prodigium!

In natura si quid admirandum vigeat, est sane! vis agendi, uberrimum recludens vitae fontem, integrumque tot virium quasi complexum. Non miror equidem, hanc celebrasse priscorum sapientes, tamquam mundi animam, ex divinitatis sinu, at ex nostro cogitandi tenore, divino potestatis arbitrio, atque divinae providentiae moderamine, manantem, cunctaque animantem. Haec prodit, Deo, universi opifice, illius modificatore, in coelorum orbibus, nostroque terreno, attractrix, in crystallo formatrix,

trix, in planta vegetatrix, in animante ſentiens. Haec vero in homine, ſed in eo ſtupendo virium complexu, prodit divina prorſus! In homine haec ſummum attigit culmen; attigit in perſica illa vi, quae praeëst reliquis omnibus, cuiusque numini auriganti ſubſervit cum organismo ſenſus, in ratione.

Eo munitum numine, humanum animans, vitali veſcentium aura dominus, ſeſe ſupra animantium, nudam ſentiendi ſphaeram non egredientium, ſortem effert, nobilitate ac maiestate conſpicuum. Mundi rationalis civis verum indagat, verique principia; rerum cauſſas perquirit, cauſſarumque nexum; ſuaque ſibi intelligentia viam munit ad aeternum veritatum regnum.

Eo munitus numine prodit homo, mundi moralis civis, non nubilo ſenſationum aeſtu proiectus, at diva pollens libertate. Sic, ſui arbiter, praelucente rationis face, ſibi quae conveniunt, appetit, ipſeque ſuum ſibi ſigit virium exercitium.

Eo munitus numine abſolutum, pretio quovis ſuperiorem, ſibi vindicat valorem, dignationemque, ſummo rationis ac moralitatis tribunali ſancitam. Eo munitus numine homo prodit, ſociae vi-

tae

tae socius, qui in homine reveretur hominem, nihilque humani reputat a se alienum, in proximi caussa, suam.

Eo munitus numine supra terrenae indigentiae sphaeram escendit homo, operum diviniorum contemplator et admirator! divinitatemque cognoscendi pietate ardens, religionisque cultu pius, se Dei amore, nunc et olim, praestare dignum, annititur. Ita demum in homine splendet humanitatis decus!

Et, profecto! ad ipsum, alte insitum, vobisque sanctum, humanitatis sensum provocare fas duco, quo innotescat, si quis supinam foveat, in virium cultu recte cogitandi, caste sentiendi, rationaliter appetendi negligentiam, probrosum, isto in homine, dedecus. Quo innotescat, si in putidis senescat opinionum commentis, avitisque erroribus; si sordidis indulgeat sensationum igniculis, grata specie fallentibus; si, affectuum servus, damnosae feratur libidinis ardore, fastidiosa sui abiectio, cuivis abominanda. Quo innotescat, si, rationis acie improba cudat fallendi artificia; si gelido contueatur animo afflictos, gaudeatque aliorum aerumnis; si homine utatur, sui commodi instrumento ambitioso, vendi-

dibilique, si superstitionem arripiat religionis, si immoralitatem, virtutis specie fallentem, laesae tum humanitatis, tum divinitatis crimen.

Vestrum erit nemo, qui non sentiat huius inhumanitatem, illius humanitatem; simulque, quam praegnans sit humanitatis, cui hic milito, theoria! Ea quippe recludit principem hominis characterem, nobilitatemque nativam. Haud temere eam dixerim hominis, in hac terrena mora, metam ultimam, felicitatisque partem primariam.

Te ergo, qui hanc promoves, qui hanc felicius excolis, nostri aevi Geni! salutare fas est, ut humanitatis, felicius amplificandae, fautorem, sic et praenuncium haud fallacem. Hanc caussam placide, ex humanitatis a concertatione alienae, praescripto acturus, antea nonnulla, quae parum tempestive, nec opportune, ad hunc locum coguntur, amovebo.

Sic deprecor enixe mystica millenariorum, qui audiunt, somnia, visionesque abstrusas. Philosophus non oberro in spectris apocalypticis, calculorumque mysteriis inviis. Providentiae divinae moderamen caste meditari, hominis naturam, et indolem, et historiam, sedulo consule-

re,

re, praesentis horae genium, atque culturae statum, ingenue expendere, ut meum esse sentio, sic et inde sapere studet mea humanitatis philosophia.

Eamque non confundunt horum intempestivi, istorum atrabiliarii, in aevi protervitatem clamores, minus adhuc ironicae ludificantium ominationes, ac si obvium nobis occurreret Saturni regnum, quo, sine ense et milite, pax perennat, cunctique, sine iudice tuti, sine fraude probi, aurea ista aetas, quae colit sine lege rectum, arva ultro foeta, quercusque sudentes roscida mella.

Quae, in ingenua de humanitatis statu commentatione, sese ultro offert conclusio, non praenunciat terrestrem nostram progeniem, nectare et ambrosia epulandam, vitaeque elysiacae puritate beandam: praenunciat humanitatem, eamque, non sine labe, perfectam, sed ulterius, sed felicius, amplificandam Ea vero, quantum amplificari potest, quamvis terricola experiatur humana fata, nec erroris, nec vitii immunis, non sine strenuo virium exercitio, naturae munera lecturus, non sine intenso mentis animique robore, sapientiae, virtutisque nobilitate gavisu-

ſurus. Neque enim, in nimis hiemante globi noſtri atmoſphaera, matureſcit intaminata conſummatae beatitatis gloria.

In lugubrem malorum, quae vitam felle tingunt, exagitationem, erumpit utcunque ſui impotens animus. Tantum non dominans cenſenda est ardens plerorumque pronitas, damnoſa flagitia, aerumnasque luctuoſas prolatandi, in diſpendium veri, fauſtique. Avide proſequitur limus oculus culpanda piacula; videtque cuncta in deterius vergentia, veri, pulchri bonique ſenſum in dies magis infectum, ſinuoſumque barbariei gurgitem latius hiantem. Spreta veri et aequi, ſpreta divinae ſapientiae reverentia ſancta, praecipites ruunt exaggeranda ea, quae displiceant. Vitae bona, animoque grata, ſi quando veniant in cenſum, protinus attenuantur. Quis neſciat, quam ſint homines fatorum iniqui cenſores!

Oculo qui non diſtorto hominis rimetur hiſtoriam, hominem contuetur, haud raro ab errore in errorem; a vitio in vitium labantem, progredientem tamen, ambages et discrimina eluctantem, incommoda ſuperantem, placidiorique vitae commercio appropinquantem. Eoque

ſti-

ſtimulatur, tum natura et ratione, tum tempore et necesſitate.

Transeuntem conſpicere datum est hominem a nomadico vitae genere, ad aliquem agrorum cultum, a barbarie ad quoddam humanioris vitae inſtitutum, ab ignavia ad industriam, a crasſa ſenſualitate ad aliquem rationis uſum, a violentia ad liberalitatis, a licentia ad aliquam legis reverentiam, ab armorum ſtrepitu, a ſuperſtitione, et crasſo egoismo ad aliquem pacis, religionis, bonique publici cultum. Tardos ſi quis dicat hos progresſus, vereor ne ſuam magis conſulat, quam naturae, tempus dimetiendi menſuram.

Fauſtum illum in virium, vere humanarum, explicatione et cultu, in delendis tot opinionum commentis, in dilatando veri regno, in depurando humanitatis religionisque ſtatu, progresſum, intuendum praebet grande id fatorum theatrum, aeque ac prisca Europae facies, Taciti, obliviosi temporis vindicis, auctoritate commendata.

Fecundo huic ſcrutinio id mihi fuit conſequens, ut, quinque abhinc lustris, haud dubi-

ſaverim, non paucis licet id paradoxum cenſeretur, pro temporum felicitate perorare.

Obſtupesco, et quis non mecum, qui reputet, quae dein perluctati ſimus tumultuoſa fata! In truces ſi redeam irrequietae discordiae, belli nutricis, Martis comitis, fastos, mihi, et cui non? nihil benignius, nihil homini ſalutarius, nihil magis pie admirandum, refulget, quam intemeranda futurorum ignorantia.

Nec minus obſtupesco, respiciens, in tam ſaevo discordantium civium, populorum, principum, disſidio, in tam ambitioſo dominatus, iusti et aequi neſcii, uſurpatione, ſalutiferam calamitatum vim, quae cunctos tantum non coëgit, ad tuendam humanitatis cauſſam, revocavitque horam, humanitatis, felicius amplificandae, praenunciam, victrice cultura, humanitatis praeſidio uno ſummo!

Uti natura manu ſatis larga, homini concedit facultates, viresque excelſas: ſic et ſerio demandat eidem ſollicitam illarum explicationem, harumque ſtrenuam exercitationem, qua prodeat, in homine, hominis decus. Eam vero in homine formam quid dexterius elaborando est, niſi cultura!

Su-

Suum prosequitur natura finem in brutis. Ad suam destinationem ipse tendit homo, sese perficiens veri intelligentia, pulchri, recti, honestique sensu. Eam vero personae perfectionem quid conciliando est, nisi cultura?

Resplendet vitae sociae gratia, privatae, publicaeque, salus in religiosa officiorum diligentia, morum humanitate, huiusque sensu caro, quo humanus cum afflicto dolet, gratulaturque laetanti, sibi gaudens. Ea vero pectoris aequi caritas, ea animi comitas, is iuste agendi tenor, quem ornabit, destitutum cultura?

In libertate, mortalium nemini serva, in libero virium rationalium, atque moralium, exercitio, in votis, et factis, ratione natis, fulget, homini decora, nobilitas. Eam vero sibi comparaturo quid est opus, et quo duce? cultura.

Quid demum opinionum spectra, vitae suavitatem et tranquillitatem suffodientia, quid superstitionis tyrannidem, metu saevientem, quid tot alia, immitia humanitatis flagella, si non diffregerit, mitigaverit saltem; sic et nunc diffringere, eorumque vim nocendi ac vexandi domare potest, nisi cultura!

Huius sub Aegide humanitatis dignitas inte-

merata viget, animusque fovet ſui reverentiam, aliorum benevolentiam, Deique amorem, quo humanius, quo homini decentius, nihil.

Ea cultura, quae neutiquam indiget compto elegantiarum habitu, ut ut ſimplicitatis atque urbanitatis fautrix, qaae, eruditionis Charitumque amans, non ſuperbit frigida eruditione, vanaque ingenii ſubtilitate: ea, inquam, cultura, virium explicatrix, errorum expugnatrix, veri propagatrix, recti cultrix, hominis formatrix, immoralitatis domitrix, non tantum allaborat mentem veri lumine collustrare, ſed et animi ſenſum depurare, vitam, intelligentiae lumini congruam, ordinare, hominemque integrum ea munire nobilitate, qua praecordia ſponte ſubeant moralitatis, qua lubens ſubeat ipſe rationis, legisque, munia.

En vobis numen, cui uni ab aevo libarunt ſapientes; cui uni debetur, quidquid humanitatem promovit. Idemque, nostris diebus, uti ſeſe diffundit per omnes hominum claſſes, a cive ad principem: ſic et, nec pauca, nec exigua, ſuggesſit, atque ſuggerere pergit, quae illi amplificandae non minus ſunt idonea, quam exoptata.

Tes-

Testor, ut ex multis delibaverim pauca, brevibus, educationem: sed haec, fatentibus omnibus, uti praesentis horae gaudia recludit, et futurae salutem, si suscipiatur prudenter; sic malorum recludit voraginem, si negligenter. Tenellus animus, ac si humanitatis ager, ut fundum praebeat frugiferum, mature est praeparandus, atque cura, semper vigili, colendus.

At quanto opere sapientes, probe experta humanae naturae notitia excellentes, sexûs utriusque decora! tradendis regulis idoneis, quippe ipsius naturae praescripto attemperatis, ad corporis, animique vires, dextre explicandas, et prompte applicandas, de tenella aetatula sunt bene meriti censendi; tanto etiam opere, de humanitate ipsa, et nunc et olim. Hunc autem locum, quam eximie et ample, in aevi laudem, elaboratum esse ab iisdem, uti vestrum fugit neminem, sic et affatim constat ex recentissima humanitatis et hominis historia.

Testor adolescentiae informationem, altiorem aeque ac elementarem, cui patent ludi nostri litterarii. Profecto! non sine admiratione, non sine blanda animi affectione, contueor salutaria haec nostra instituta, nostri aevi genio, rectius cul-

culto, debita, petentibusque gratuito accessa. Viget in iis digestio, concinno ordine disposita, docendi discendique methodus, puerili ingenio adaptata, aeque ac rerum percipiendarum fecunditate commendata. Viget in iis exercitationum liberalitas, docilitatem excitans. Comparet hic aevi genius, non uno de nomine laudandus. Centenarii, spectaculum re vera humanum et iucundum! sine strepitu, placide simul discunt, simul instruuntur, docente uno. Eaque exercent puerilem chorum, quae continent ingeniorum nutrimenta, ipsis apposita non tantum, sed et vitae praecepta, plana et salutaria, simulque saniora sermonis patrii elementa; totidem humanitatis germina. Lucidam mihi videor videre auroram, humanioris diei praenunciam!

Neque hic omittenda est informationis illius altioris mentio, cui dicatae sunt scholae, quas dicunt, doctae. Quanta sit illarum ad solidam eruditionem, aeque ac ad germanum humanitatis cultum, vis, nemo ingenuus nescit, testanturque affatim numerosa, ubivis in Europa, in patria nostra praesertim, lauta instituta avorum prudentia fundata. Discipulorum in iis fre-

quen-

quentia, olim incredibilis ferme, nostris quidem diebus, populorum tumultu, bellorumve ſtrepitu, ipſiusque comite, temporum difficultate nimis, eheu! decrevit; incorruptus tamen perſtitit illorum genius. Eximia iſta Muſarum ſedes tantum abest, ut prisco ſit valore orbata, ut potius liberalior vigeat in iis doctarum linguarum cultus, non nudis verborum formis ſervus, ſed et Graecum prodens humanitatis genium. Harumque cum ſtudio nunc coniuncta videmus alia exercitia, exacuandis ingenii viribus perquam idonea, viamque ad ſublimiorem ſcientiarum, artiumve liberalium, cultum fructuoſe munientia. Quanto opere haec, idque, vere humanitatis ergo, mihi est perſuaſisſimum, regiam exerceant providentiam, testem vobis offero, regiam Regis nostri conſtitutionem Batavae iuventutis ingeniis, animisque, dextre formandis, dicatam. Iisque fovendis, excitandis, quanto cum fervore, tua invigilet, illustris Gelriae Maecenas! generoſitas, tua humanitas, tuum testatur nitidum Lyceum, quo Elburga ſuperbit.

Ingenuum ſi expendam ſcientiarum et artium ingenuarum, in Academiis tradendarum et ex-

co-

colendarum, institutum, quidni dixerim, te facimus, Pallas! humanitatis Deam, coeloque locamus. Uti ipsius aedes vere dicitur, boni publici sacra, sic et non alia datur universalis respublica, quam litteraria, humanitati dicata, vinculoque vere humano, homines ligans, populosque.

Tametsi calamitosa temporum nostrorum saevitia permultos, a Musarum commercio, prosperitatis, pacis, et tranquillitatis, sed haec Musis benigna! indigo, divulsit; ab aliis id eo ardentius fuit percultum, quo spissiores prodierunt nubes malorum gravidae, gentium coelum obnubilantes.

Tanta quippe est litterarum felicitas, illaque beati sibi gavisi sunt, olim et nostris diebus, viri, fortuna fatove maiores, qua ipsis, in procelloso vitae mari, recludant solatium, refugium, asylum.

Doctrinarum, si mihi liceret excutere singulas, orbem conspiceretis incorruptum, quin et, non uno de nomine, amplificatum. Neque enim ulla, vitae, humanitatique, vere proficua, iacet neglecta. Excoluntur cunctae, nec sine successu, a mathematica demonstratione

one ad usque ſanctiorum oraculorum profunditates.

Excogitatis, mira ingenii ſagacitate, inſtrumentis, artificiisque, ſine exemplo exquiſitis, naturae ſcrutatores ſibi viam ſtraverunt, ad perquirenda ea, quae habita fuerunt olim invia, quin inaccesſa. Perquiſiverunt ſidereum naturae opificium Uraniae antistites, quos non divellit minax regnantium Erinnys, non discors civium ardor, aut inhumanum nationum odium. De Olympo reduces nunciarunt nobis, planetarum ſolem ambientium chorum duplicatum; artisque divinatricis, quae coelum iactat fatorum codicem, futurosque nascentium caſus, ex vago ſideris motu pendentes, vanitatem.

Perquiſiverunt impigri rerum naturalium ſcrutatores abditum naturae ſacrarium, peploque revelato, introſpectarunt quaſi naturae componentis, et reſolventis, et modificantis, per ſingula ipſius regna, myſteria. Eoque ex ſcrutinio, ſurgentem vidimus artem chemicam, facie nova indutam, fabricantis naturae aemulam.

Perquiſiverunt rerum humanarum ac divinarum ſpeculatores abſtruſam principiorum veri, bonique, doctrinam; imperioſamque rationis,

vi-

vitae gubernatricis ditionem, non ſine lauto rectius ſapiendi emolumento, aeque conſpicuo in caste regundis ſenſus ac ſpeculationis finibus, quam in planiore, adcuratiusque deducta, commentatione de moralitate, officiorum ſanctimonia, hominisque valore.

Sed, quorſum me delectabili disciplinae momento, praeſidiorumque humanitatem fovendi atque ampliandi fertilitate, inde manante, deductum video! Vestra me destitueret audiendi patientia, nec ego finem dicendi reperirem, ſi hic auctum, ibi illuſtratum ſcientiarum et artium cyclum, vel ex longinquo, vellem indicare.

Eoque mihi coepto, forte non uno de nomine temerario, eo lubentius mihi interdico, ne, Sophiae meae ſphaeram migrans, alienam oberrando, minus idonea hic loci proferam. Sed et eo tutius huic ſuperſedeo, quo mihi magis habeam perſuaſisſimum de vestro ſuffragio, praeſentem ſcientiarum et artium cultum cenſendum esſe, praeſidium, mentis animique vires explicandi, exoptatisſimum; principia veri et boni, pulchri et honesti, aequi et iusti percicipiendi, atque recte ſapiendi, tutisſimum; eo-

que

que beneficio fruendi prostare copiam, publicam, privatamque, hodie uberrimam.

Interim id silentio praeterire, religionem duxerim, auctum esse nostrum academicarum doctrinarum orbem, regia Gulielmi Regis providentia, — tum Oeconomiae ruralis disciplina, quae, si quae alia, humanitati valde proficua! Id naturae studium, praeiudiciorum, tremulaeque superstitionis spernax, sua se commendat, et commodorum in vita ubertate, et voluptatum, non poenitendarum, suavitate, et fruitionis ultronea oblatione, et animi vi moderatrice, placida, piaque; — tum sermonis patrii provincia. Ea autem quid hominis cultura dignius, quid civi carius, quid populo sanctius! Fidem vestram, A. A! inclaruit uspiam aviti sermonis et studium, et pretium; inclaruit novissima periclitantis patriae, periturique populi Batavi, hora, saeviente Gallorum dominatu. Neque enim aliud erat istis gentium dominis propositum, quam, cum populi genio, populi linguam (versutos istos non fugiebat huius cum illa necessitudo) expellere. Sed et hîc, ecce calamitatem, carae vernaculae vindicem! In voce Batava, uti Batavi sensus, sic et

Ba-

Batavae miſeriae vehiculo, refulſit indivulſum gentis Batavae vinculum. Innotuit, invita nationis magnae grandiloquentia, rei patriae cura et amor. Eoque patrocinio Batavorum Rex Batavis ſuis patrii ſermonis et uſum et cultum commendat non tantum, ſed et inter publica humanitatis ſtudia retulit.

De amplificata humanitate, ab omni aevo, Palladis numen optime fuisſe meritum, quis neget? Idemque, de eadem amplificanda, non minus meriturum esſe, quis negabit? Eo quippe numine, humanioris culturae radii ſeſe per omnes diffundunt hominum ordines; nationesque ipſae, eo quaſi vinculo, colligantur, tantumque non coguntur ad aliquem progresſum, quo deſinant esſe barbarae.

In ſcientiarum artiumve liberalium cultu veneratur Rex Fredericus, Borusſorum Magnus! generis humani legislationem: eaque ſublata, neque principes, neque nobiles, neque populos, cenſet barbariem devitaturos.

Uti enim ſolis ſplendore disſipantur tenebrae, et nebulae: ſic et Palladis numine disperierant permulta noctis tempora tetris opinionum commentis, credulisque erroribus gravidata:

ta: sic et Palladis numine, huiusque splendore, dispellentur magis magisque, perfida mentis animique idola; accrescet magis magisque, virium rationalium et moralium cultus, vitaeque humanioris studium.

Occurrentem ecce Vobis praesentem academiarum constitutionem, ipsa principum, eos inter vero Batavorum rex, cui, in Batavorum cultura, ipsa quoque humanitatis caussa curae est cordique, summa nobis cum laude celebrandus est, auctoritate renovatam, atque virorum, prudentia et sagacitate inclytorum, curis demandatam.

Fateor equidem, luxurians ista frigidae eruditionis pompa, nunc forte, dixisse vellem certe! minus, quam olim, dicenda est luxurians; idque revera sine ulla salutiferae eruditionis iactura, sed omnino in ipsius decus, vera, solida, mascula eruditio, a vanitate aliena, rerum, vere utilium intelligentiae studiosa, modestiae amica, nitidissimo splendet apparatu, caste et exacte selecto; eo maxime, qui, haud neglecto tempestivo pulchri decore, ad salutarem veri intelligentiam faciat plurimum, vitaeque usui inserviat maximopere. Atqui eo de

no-

nomine laudandus merito est eruditorum nostri aevi sensus, humanitati amplificandae perquam favens.

Fateor denuo, eam esse quandoque in quibusdam degenerem cultioris ingenii vim, qua sese exacuant in cudendis artificiis nefandis, subtilitate arguta fallentibus, nec iis tueri erubescant, nunc opiniones male sanas, erroresve periculorum haud immunes, nunc denuo ambiguos salacis ingenii lusus, argutiasve sinistras, specioso integritatis praetextu prolatas, limpidam veritatem obnubilandi, indecorum in dictis, animique sensu, condecorandi, officii, legisque effata, quin et ipsa religionis sacra, eludendi. Non desunt illi, si diis placet, mire culti, versipelli acumine mire famosi. Nec desunt, qui dedignentur fastidiose, in isto versutiloquo ingenii habitu, probrosum, ingenuae culturae abusum, atque, in ista artificiosa animi perversitate, haud ambiguum probae culturae defectum.

Ea est optimarum rerum conditio, ut ipsarum abusus non possit non esse pessimus. Istiusmodi autem ausus id esse solet infaustum consequens, ut tendat, desinatque saepe, si non

in

in propriam ludificantis perniciem, certe dedecus.

Et ea est ingenuae, menti quae facem, animo nobilitatem praebet, culturae vis, qua ipſa ſubministret, contra inhumanos istos abuſus et auſus, praeſidia, haud invalida, vindicetque, in iisdem, humanitatis ius et decus.

Sed non est, quod huic loco, qui ſapienti cuivis ſacer habetur, intemerandusque, immorer fuſius. Ecce vobis conſpicua, uni culturae numini debita, ſplendida humanitatis inſtituta, ipſiusque amplificandae non vana auguria.

Testor ex his unum, industriae dicatum. Torpent inculti, otio dediti ſomnoque. Ad industriam ciet hominem, homine digna, cultura; ipſiusque diligentiam liberaliter fovet culta liberalitas. Neque enim haec hodie ambit gloriam, nec ſitit ſanctitatem, in fundandis inſtitutis, ſtruendisque hortulis, pia otia nutrituris. Sanior viget vitae, morumque prudentia, quae tetrum laborem nauſeans, praeiudicium vi ſua ſoporifera denudavit, repoſuitque ſalutiferam ſentiendi rationem: dulcisſimos esſe propriae industriae fructus. Largam uti his fruendi copiam ſuggerit humanitas, pio in patriam amore

excita; ſic et operis ſtrenuitati invigilat ſeveritas.

Neque tamen ſenectam, frigentem, et exhauſto virium vigore infirmam, deſerit humanitas. Eademque, — ſed hic humanitatis locus, tuae, mi A r n t z e n i! industriae fautor nobilis! me non ſinit esſe immemorem tuae liberalitatis, tuae prudentiae moderatricis, gratae et benevolae! — Eademque inopes, urgenti temporis difficultate, paſcit cibo, non mendicato. Profecto! inter festa humanitatis retulisſent prisci id, quod, nostro die, parant Rumfordiana iura, neutiquam nigro illi Spartanae gentis aemula.

Testor id inſtitutum, cui fundando praefuit, cui perficiendo praeësſe pergit, et quid ni pergeret? ipſe cultioris humanitatis genius, quo coeci, miſeri isti pulchri naturae ſpectaculi hospites! ex miſeriae profundo tantum non extrahantur, neque destituantur, invita vitae forte, adeo deploranda, virium, quin et organicarum, cultu, neque vitae gaudiis, vere humanis. Huc adestote, Vos! priscis qui aevis addicitis, laute et ample, omnem humanitatis progresſum, novisſimo nostro vix ullum; ades-

to-

tote visuri spectacula, incognita priscis, videntium exercitia peragentes coecos, artificium dexteritate operantes, quin, cum geographó, per Europae tabulas iter facientes.

Testor id humanitatis tantum non miraculum, quo surdo-muti nunc audiuntur, voce loquentes sonora, nunc conspiciuntur, visu quasi audientes, et sine voce sermocinantes: sermocinantes non tantum de iis, quae sensus afficiunt, deque vitae muniis; sed et de veritatibus, puriori rationis lumine perspiciendis, religionisque mysteriis.

Testor vaccinationem, humanitatis beneficium, perquam insigne! Nostra dies edidit hoc morbi, in se horridi, suoque contagio extimescendi, qui quoties reclusit aestuantem mortalitatis gurgitem! remedium efficax, nec satis admirandum. Sive spectatis fortuitam inventionem, sive remedii simplicitatem, sive vim ipsius salutarem, sive ipsius commendationem, praeiudicii, sed huius vis quam terribilis! triumphatricem, per omnes orbis regiones reverenter habitam, et grate susceptam. Divo hoc invento humanitatis mystae letalem istius morbi impetum, fausto cum successu, abhinc iam per longam annorum seriem,

temperarunt. Faxit summus hominum Sospitator, ut serior generatio benignum hoc morbi maligni medicamen, praesidiumve, experiri pergat vere salutare, idque beneficium ab alia, vitae noxia, aegritudine non turbetur, aliove malo excipiatur!

Testor, sed audiamus istum, lepide iocosum, mirifice extollentem dissimulanter, si Diis placet, in gloriosum aevi decus! mirificas magnetismi animalis virtutes, non sine piaculo reticendas, Neque enim, sic iste, curandae debilitati nervosae, non tantum, sed et, quotae malorum, quae organismum labefactant, animumve arrodant, compertum fuit uspiam medicamen simplicius, simulque efficacius, vim suam exserens in id etiam, quod amplius distet. Eo quid demirandum magis! sive enim respicias Podalirium manipulantem, sive manipulationis directionem, sive somnambulismi productionem, sive aegrum clare videntem aegrae suae constitutionis sensum, sive definitam, in diem et horam, sanationis vaticinationem, sive ... Stupet, profecto! attonitus, magneticum id qui conspiciat miraculum. Qui expendat magicam magnetismi energiam, aurigantem teneram virginem, (innuba

sit,

fit, five sponsi non frigida virgo), magnetifo-ris ad ductum et nutum, Ecce lucidioris nostri aevi prodigium, inauditum prisco, gloriofum nostro! Haec ille.

Gaudeant fibi magnetici Themifones, manipulatis mysticae potestatis miraculis superbientes. Sobrie sapienti hic ultro succurrit Iuvenalis effatum: „ *difficile est satyram non scribere*".

De iis, qui ex vero pronunciet, atque ingenue, fit ipse non tantum rerum probe gnarus, sed et incorrupta instructus solertia, strenue observandi, rite diiudicandi, tum manipulantem magistrum, tum personam curandam, ipsius situm, et statum sentiendi, imaginandique tenorem.

Testibus viris, artis peritis, fideque dignis, haud improbabile videtur, illam, quam dicunt, at parum concinne, operationem magneticam, excitatricem quasi debilitati vitalis principii, nonnullis fuisse salutarem. Sed et eum nostrae horae foetum, eo sub titulo priscis inauditum, nimis adhuc immaturum, maturiori expertorum iudicio et indagandum, et firmandum, et dirigendum, censent iidem artis prudentes, rei gravitate, et dignitate permoti. Sic decet. Ea

quippe virtutis vitalis idea, quid ſit in ſe? haud facile est definitu. Saniores, vim explicaturi, ſeſe contuentur tantum non in ultimis intelligentiae humanae oris. Neque enim vis vitalis, aeque ac quaevis alia, innotescit, niſi nitendo vel operando. Eamque, procul dubio, aeque ac quamvis aliam, ambit, eique inſervit medium quoddam, vehiculi, organive ad inſtar, quo mediante prodeant vitalia phaenomena. Siccine, vitalitatis intuitu, et ductu, pro nimis ambigua magnetismi denominatione, appoſita magis ſubſtitui posſe videtur illa *vitalismi?* Hanc vero dynamicam naturae operationem, ſagacitati Medici, vere, quin religioſe, ingenui, dedicatam, demiratur ſagax naturae investigator: hanc illius energiae, quae cuncta in univerſo animat, modificationem Phyſicus obſtupescit: huius penitior perſpicientia ſapientiae ſtudioſum ultro allicit, humanitati profutura.

Mihi ſi liceret in huiusmodi discusſiones exſpatiari, neutiquam deesſem, et ea recenſere, quae cultioris aevi genius dolet culpanda, non tantum in ſexus utriusque vita, et moribus, verum quoque in eccleſia et foro.

Sed et largam, delectabilemque mihi praeberent

rent disserendi copiam: praeclara ingenii culti inventa, pulchra artis producta, eximia commercii humani instituta, quae uti vitae commodis augendis, aptiusque concinnandis, haud parum favent, sic et permultum emolumenti afferunt rei geographicae, nauticae, mercaturae, agriculturae, et quibusvis opificiis, litterariis quoque. Atque cuncta illa, uti humanitati amplificandae nunc prosunt, sic et olim sunt profutura.

Sed superesse mihi video alia, ingeniorum culturae, ipsiusque numini debita humanitatis praesidia, maxime insignia, neque hic omittenda.

Testor libertatem. Libertatem dico, A. A.! et, in ea, quis non revereretur divinitatis in homine characterem! Eamque non huius illiusve personae, non huius illiusve gentis, sed hominum nostra vidit dies inhonoris servitutis vinculis ereptam, atque humanitati vindicatam, uno favente culturae numine, in regnantium honorem non interiturum.

Ea enim uti est virium rationalium explicatrix, atque humanitatis fautrix, sic et homini reverendum praedicat hominis valorem, huma-

ni-

nitatisque dignitatem. Haec, etsi proprio micat fulgore in recto rationis usu, moralitatisque exercitio, respicit tamen abiectum servilis conditionis sensum, humanae nobilitatis igniculos suffocantem. Suus prodeat homo in humana persona.

Inhumanum istum foverunt sensum; eam profanarunt, ad nostros usque dies, dignitatem, qui hominem censuerint glebae emtae appendicem, fundique colonum, fundo adhaerentem, obiectum servile, pecoris ad instar, illi pretio venditum, huic dono datum. Nostra demum aetate Reges et Principes celebrare fas est, humanitatis vindices, qui nativae servitutis ignominiam, moremque inhumanum, hominem aestimandi, arboris instar, abrogarunt. Illiusque tributi, humanitati praestiti, pulchritudo, in Alexandri, Russorum Imperatoris summi! diademate, gloriosius micat, quam quaevis alia gemma, maxime corusca.

Dirius adhuc, atque atrocius profanarunt eandem duri isti, ac irreligiosi, homines qui non erubescunt mancipare, ut rem in mercatum trudere, pretio vendere, vernasque adnumerare pecori servo. Si eo in flagitio humani-

nitatis fenfus horreat atrox laefae humanitatis crimen: in nefanda ista hominum venatione abolenda, in delenda barbara ista hominum praeda, mercatuque probrofo, deveneratur animus, humanitatis fenfu percitus, victricem humanitatis gloriam.

Eamque fibi compararunt gloriosisfimam Principes Europaei, nuperrime fordidum istud mercaturae genus non tantum fevere prohibentes, fed et armorum vi, qua nulla reperiatur iustior, nulla humanior, nulla honorifica magis, captivos miferos ex barbaris piratarum antris, orci quafi faucibus, eripientes, a ferri ftridore, ferratisque collo catenis liberantes, eosque fibi, et fuis, et patriae, et humanitati, reddentes. Ecce generofitatem, qua generofior nulla! Munifico humanitatis fenfu inflammati, divo libertatis beneficio bearunt cunctos, indiscriminatim, in barbaram praedam catenatos, quippe homines.

Eo ex humanitatis de inhumanitate triumpho, furgit monumentum humanitati carum, regiaque humanitate quovis alio fublimius, Nobisque Batavis eo carius, quod, eo in praelio, Batavorum heroismus compareat quoque triumphali laurea cinctus.

Nec-

Nec minor cenſenda est imperantium humanitas, aequitatis cultrix! in despotismum ſupprimendo, potestatem arbitrariam deprecando, civilem libertatem vindicando, civibusque, ſibique, leges conſtituendo. Sic miscet, post tot dubia rerum discrimina, rectius ſapiens regnantium providentia res, disſociabiles olim, principatum et libertatem, cuius munimen lex, huiusque vindex regnantium potestas.

Ne obſecro, A. A.! me reputet Vestrûm aliquis adeo exorientis diei ſerenitate, meliorum praeſaga, fascinatum, ut nimboſae noctis, cuius flebiles adhuc patent ruinae ab Herculis columnis ad ultima Thules littora, horrida disſidia, damna, aerumnas, iam iam nihili faciam.

Gementem adhuc audire mihi videor populorum, qui, annis bis quinis ferme, ambitioſo victori tantum non in praedam cesſere, Genium, gementem: „ quoscumque luctus fleveris, flebis meos ".

Eum civium populorumque luctum, trucem et pugnacem, Gallorumque dominatum, furioſe exaltatum, recolere, eo lubentius ſuperſedeo, quo felicius bene multa iam ſunt obliterata, aliorumque memoria cuivis ſuperest, ſatis

re-

recens; dein, quo ad pauciora revocari possunt, hic animadvertenda, utpote huc facientia.

Prodeuntem vidimus, ac si ex Cyclopum antro, terrificam factionem, licentiose in principes, nobiles, civiumque cultissimos, saevientem, libertati, quam iactitabant, laqueos parantem, scelera certantem: sed et hanc vidimus, „ auctorem scelere repetente," fastidiose dispereuntem, non sine proprio ferocitatis supplicio.

Prodeuntem vidimus, illius in locum, Imperatorem usurpatorem, qui, audax, tamquam alter Geryon, fervens intemperato dominandi aestu, Europae imperio vix satiando, despotismum renovavit, quovis alio insolentiorem, omnemque reponens in ferro salutem, in Principum submissione, populorum subiugatione, regionumque occupatione, nullum novit usurpatricis potestatis modum. Neque enim ambitio, cui nihil sanctum, reperit, quod suppetat.

Sed et prodeuntem vidimus in regnantium humaniorum viribus foedere sancto consociatis, Herculem quasi, humanitatis vindicem; ausuque ipsius invicto, una sparsus est manu minax Geryon; revixit Regum auctoritas, populorum li-

libertas, regionumque integritas. „ Neque enim retinentur diu invisa imperia".

Prodeuntem vidimus Trimalcionem, giganteo monarchiae universalis aestu inebriatum, iura gestantem in armis, munitum flammis et mucronibus, populorum civitatiumque flagellum, omnibus tremendum, potestatis et morum insuavi auctoritate, cuivis invisum.

Sed et prodeuntia vidimus, in illustri principum coetu, generosa humanioris culturae decora, a vi vastatrice, a licentia populatrice, prorsus aliena, libertati, Deo, patriaeque militantia, restauratura civitatium ordinem, regnorum tranquillitatem, Europae pacem, omnibus cara, philophrosynes et maiestatis connubio cuivis deveneranda.

Flammans si prodierit, ex austrina coeli plaga, crine ferali cometa, terribilis Europaei orbis fax! bella gerens et ciens, subitosque tumultus, arma cudens, clandestinis artibus surgentia, extrema minitans: Sed et ex Arctois plagis prodiit serenum blandae humanitatis sidus, cuius ductu congregatos vidimus, ut nulla vidit aetas, Europae, in Viennensi congressu, Principes, non concertantes de vindicta, de regio-

gionum raptu, deque immani belli iure. Sacro istarum cladium horrore affecti, concertantes audiuntur de generositate et humanitate, de pace firmanda, praeveniendisque bellis, de exstirpando dominatu arbitrario, regionumque finibus, contra usurpatricem apprehensionem tutandis, quin de Gallia, non concremanda, sed conservanda. Demirati sunt hunc, sine exemplo gloriosum, humanitatis genium, quotquot inest pectus, generoso incoctum honesto.

Isque tibi maxime sit reverenter colendus, Gallia! armorum avida, Corsicani insolentia tumens, dominatu et praeda, ferro et igne: sed inde surgunt tua per Europam vestigia, in tui dedecus non delenda! populis Europaeis invisa.

Et quis ille, qui expendens, quorsum iste decreverit gigas, regnorum qui sceptra tenebat, atque sibi gestanda parabat! in solitaria sanctae Helenae insula, rupium diademate cincta! qui non, expendens tot principum, populorumque insperatas vicissitudines, rerumque conversiones, perspicacissimorum votis maiores, admirabundus agnoscat sanctissimi, vanos qui mortalium ausus suo flectit sapientiae fato, moderamen!

men! Eo prodiit summi Rectoris moderamine, sancte provido, ex Cimmeriis tenebris, lucidius splendens sol, libertati humanissime favens.

Ecce summi imperantes ipsi, placide praestantes civibus ea, quae affectari quondam per tumultuosos motus, partium turbas, statusque conversiones, nitebantur cives. Ecce imperantes, germani humanitatis fautores! constitutionisque, lege sancitae, antistites! Cultior eorum prudentia rectrix, aequi iustique tenax, civium culturam vertit in caram legum reverentiam, civium libertatem in patriae amorem, civium boni publici studium in imperii tranquillitatem, civium salutem in imperantium decus et gloriam. Sic peragit tranquilla potestas, quod violenta nequit.

Sic nostra aevi hora, principi, civique prius inhumana, dura, calamitosa, atque huius illiusve acerba castigatrix, sapiente vereque paterno Dei erga homines amore, fit humanitatis ferax, ipsiusque, felicius amplificandae, fausta praenuncia!

Eminet inter humanitatis praesidia, non minus quam luna inter stellas minores, religio; ea maxime, cuius professione nos, Christo devotos,

tos, beavit paterna Dei providentia unice quippe tendens in moralem hominis perfectionem. Consummatisſimum humanitatis exemplar contueri nobis est datum in amabili Christianismi fundatore. Ipſiusque titulus: „ Filius hominis," quo nullus ſimplicior, ſimulve nobilior! haud obſcure indicat hominis valorem et dignitatem. Huic felicius amplificandae militat integer Christianismi genius, hominum generi exponens regnum moralitatis et libertatis. Is quo ſeſe diffundat amplius, eo amplius perficitur vera humanitas.

Liberae religionis profesſioni, libero cultus, Deo ſacri, exercitio militarunt, ab aevo, ingenui, ingenii cultura, mentis perſpicacia, animique nobilitate, inclyti, triumphante nostra aevi hora.

Publica auctoritas, in principum honorem, aevi cultioris decus, humanitatisque emolumentum! commendat loca, religioſo cultui ſacra, cuivis reverenda.

Deferbuit perſecutionis ardor, cuivis religioni, Christianae maxime, dehonestans opprobrium. Intemeranda cenſetur conſcientiae libertas, omni inquiſitionis tribunali ſuperior. Neque

que enim ex ecclesiae praescripto, aut cultus ritu, aut synagogae formula, aestimandus est hominis valor, ne Iudaeo quidem excepto. Neque hunc amplius premit, ut contumelioso pressit alicubi, dehonestum tributum, pecori impositum. Humanitatis altari assideat cum Aethiope Arabs, cum Iudaeo Graecus.

Si tantum potuerit quondam religio suadere malorum: quis sanus, eo in effato, non persentiscit daemonem, religionis specie fallentem, hierarchico sacerdotum fastu tumentem, aut irreligioso politices astu circumvenientem?

Novi equidem lamentantes quosdam de religionis studio, olim ardentissimo, hodie frigente, tantumque non perdito. Et, quae iustior dolendi caussa hac ipsa, si vera? Sed vix novi istos, tanquam religionis arbitros, incorruptos, aequos, satisque idoneos, qui religionis pietatisque sensum, purum et sanctum, probe et caste, dignoscant ab affectato habitu, sine pietate devoto, mysticisque suspiriis, sine moralitate piis. Haec histrionalia frigida respuit, Deum qui timet atque amat, cultiore religionis numine, cui recte culta aevi hora esse debet dicata, inflammatus.

Cla-

Clamitantes novi de conculcata Patrum auctoritate, praecipitibusque Neologorum, ausibus. Speremus bene! Uti illam suo, nunc adhuc, legitimo pretio, aestimare norunt Theologi nostri, qui ingenio, animoque, strenue culto, religionis caussam agunt, sic et hos norint temperare, ne praematuri quorumdam culturae gressus, quos censent germanos progressus, dehonestent purioris religionis doctrinam, et sensum. Atqui, Deo grates! neque hoc, neque illa destitutus habendus est nostri aevi genius.

Haeretificum sectarum studium aeque nauseat sapientiores theologos, candidos religionis antistites, ac servile istud, systemati alligatum. In eo elaborant ingenui, ut diviniora doctrinae decreta ingenio perlustrent systematico, quo ipsi sapiant, constituantque rerum divinarum notitiam homini concessam, ea ut sit vitae, animoque salutifera, intellectu perspicuam, rationibusque firmis innixam.

Neque aestimanda sunt probi Theologi merita ex intemperato disceptandi pruritu, atque acumine dialectico, artificiose subtili, inflato isto aevi medii abortu! sed solida et plana euangelica Christianismi expositione. Cultior aevi ge-

ni-

nius uti alienus est ab artificio theologico, religionis ſanctioris ſimplicitatem iugulante, ſic revocat polemicum ſcholae inſtitutum ad irenicum, ſovetque inter disſidentes liberalitatem, ſagaci atque humano religionis praefectui, (atqui hic, ut ut erranti non deneget amorem, errori tamen neutiquam favet) decoram.

Dolet merito, cui res humana vere curae est, ex animo dolet, religionem his neglectam, illis irriſam. Sic ſuas habet maculas divinioris culturae ſol, aeque ac aethereus Titan. Sic in mundo morali, aeque ac phyſico, non ſine umbra lux. Speremus bene! Animum erigit aevi genius, perficiendo religionis cultui invigilans; nec frustra. In mundo morali, aeque ac phyſico, decrescit umbra, luce magis culminante.

Quis adeo ingratus, laete qui non agnoscat, percarum id providentiae divinae beneficium, conſpicuum in ſanctioris religionis lumine, non tantum non retrogrado, ſed progrediente, et progresſuro.

Praedicant divinioris oraculi effata, precantur Christianismi vota, divinitus cultae rationis progenies! Venturum Dei regnum, regnum moralitatis, quae purisſima fulget in divinitatis cultu,

tu, Christo doctore, ſtabilito, humanitati, felicius amplificandae, prorſus accommodato. Huiusmodi ſcopus, qui tendit in ſtatus moralis perfectionem, per omnem temporis decurſum continuandam, ex ipſa innotescit doctrinae illius indole, ipſiusque argumento.

Huic cultui conſervando, propagando, depurando, non tantum non deëst nostra aevi hora, ſed et fausta valde ſuggerit auſpicia.

Hucne referre fas est eccleſiaſticum regimen, ipſiusque ordinationem, novisſime redactam, puriori cultui haud parum faventem! Hucne hymnorum euangelicorum, — horum vero vis ad Deo gratum pietatis cultum praeſtandum, ad animum excitandum, ſanctoque reverentiae ſenſu animandum, quantane! — praeſtantiam, euangelicam ſapientiam, ſimplicitate aeque ac ſublimitate excellentem! Hucne illustria caritatis, Christianismo honora, in religionis decus praeſtita, praeſtita non huic, illive, ſectam profitenti, ſed Christiano, quin homini! Hucne quot alia referre posſem hic ſilentio praetereunda! Hora urgente, claudam hunc locum facta mentione inſtituti, quo humanius, quo religioſius, experta fuit aetas nulla, Biblici! novisſime orti, vi-

 gen-

gentisque ſine exemplo laete, in decus religionis. Coëuntes ecce viros, religionis amore, humanitatisque ſtudio ſincero incenſos, iunctis qui viribus Christianae doctrinae, revelationisque ſanctioris codices, in quasvis populorum linguas translatos per omnes distribuunt gentes, cunctas beaturi divo illius ſapientiae et ſalutis fonte, paraturi ſingulis, ad gratiae plenum Christianismi cultum, viam, exſtimulaturi in Mauro et Indo hominem ad perfectionis moralis ſtudium, humanitatis ac felicitatis non interiturum fontem unicum! Faustis faveat coeptis, piisque annuat votis, benignisſimus hominum Pater! Faxit, ut hominum univerſitas, ac ſi euangelica respublica, aethereo hoc irradiata lumine, ſalutiferam ſentiat euangelicae doctrinae vim et gratiam! Faxit, ut a polo ad polum, vescentibus ſingulis aura illa diviniori, reſonet Dei amor, hominum caritas, humanitatis decus!

Quodſi ſingula, quae, vastum decurrendo aevi nostri, ſaltem, quo ad mihi, cuius horizon arctis circumſcribitur limitibus, patet, campum, hic illicve, magis arrepta, quam ſelecta, delibavi, expendatis ingenue, ſtrenue quoque,

non

non vaga opinione, ſed aequo erga Deum et homines iudicio, inſtituta collatione, et habita ratione horum, cum integro opinionum erronearum, perverſitatumque agmine, nullus dubito de veſtro ſuffragio pro noſtra aevi hora, humanitati felicius amplificandae, praenuncia!

Te, ſerenioris diei lucifera aurora, cara nobis praenuncia, praeëunte, ſperemus bene! Spiſſae licet prodeant, hic nebulae, illic atrae nubes: humanitatis ſol, retrogradiendi neſcius, altius altiusque ſurgit, ſi non ſine nebulis, nebuloſe minus tamen; reditque ex nube ſerenior.

Te, cara nobis praenuncia, animum blande corroborante, ſperemus bene! nec terreamur opinionum ſpectris praeiudiciorumque idolis! Speremus bene! nec teneamur multorum vanitate, aliorum pravitate. Errores et vitia, nocte ſata, umbris nutrita, in ſui opprobrium, ſuique perniciem prona, ſerius ocius, rectore Deo, ſubſerviunt vero et bono, ſapientiae atque virtuti. Culturae numen, rutilans humanitatis ſol, ut lumine non mutuato illuſtrat, ſic et vivo excitat ardore humanitatis igniculos.

Te, cara nobis praenuncia, timeamus quan-

doque, prudentes: desperantes nunquam. Spectemur agendo. Aevi genius, inhumanitatis diluvio eluctatus, humanitatis ſymbolo nitet; aevi hora humanitatis praeſidiis large est beata; laete germinans nobis arridet humanitatis ager; eique percolendo invigilat, vacat, militat, ubivis locorum, in patria maxime, nobilium chorus, iuventutisque flos.

Testor regium Regis Batavi, regiaeque domus, genium, qui cum Frederico, Borusſorum Magno, in humanitate, conſtituit virtutem regiam, atque, in civium cultura, ut vitae felicis, ſic et patriae tranquillitatis, fontem uberrimum. Diu, favente Dei ſapiente amore, diu perennet Batavorum Rex, humanioris culturae protector, religioſe colendus, atque integra domus Auriaca, in Altisſimi favore, regni proſperitate, civium amore, meritorum gloria!

Testor vestram, Viri perillustres, Athenaei Maecenates! quos inter tua me laetatur praeſentia, nobilisſime S t a r i n g! vestram, Maecenates! uti huius inſtituti, Palladi et humanitati ſacri, florem et incrementa, ſic et omnem culturae humanioris orbem promovendi et amplificandi curam. Eum in vobis genium, isque fuit

et

et est summorum virorum, venerari fas est, qui, de suis bene merendo, serae posteritati prodesse, et studeat, et optet. Conamina vestra, generositate nata, secundet; votis vestris, animi nobilitate, aeque ac patriae, humanitatisque amore, conspicuis, faveat summus rerum Rector! Fruamini nunc curarum praemio exoptatissimo, diu et large! Perennet olim vestra memoria gratae posteritati carissima!

Testor vestrum, Viri clarissimi, muneris socii, inque Palladis, humanitatis cultricis, templo Sacerdotes! hanc caussam tuendi ardorem. Inter omnes qui de cultura, atque, culturae ope, de humanitate, bene mereri et possunt, et debent, primum vos occupatis locum. Sive enim Dei caussam agatis, divinitusque patefacta tractetis; sive populorum ac principum, hominum ac civium, iura, legesque; sive naturae organicae oeconomiam, rerumque naturalium miracula; sive operum divinorum contemplationi invigilatis, rationisque fontem ducatis per omnem veritatis, virtutisque ditionem; sive, in humaniorum cultu, populorum fata perquiratis, pulchrique sensum, Musarum Charitumque sacris, exerceatis; nuspiam non humanitatis caussam

agi-

agitis, eamque agatis auspicatissime! Palladis numine profuisse quam plurimis, a vobis dextre formatis, qui, veri lumine, errorum nebulas, opinionesque temere conceptas dissipando, veri, pulchri, honestique sensum in quibusvis excitant, atque inflammant: eo, eoque vobis, quo nec dulcius esse potest, neque exoptatius, eo meritorum de Palladis alumnis, de patria, deque humanitate, praemio, vobis contingat, faxit Numen! beari diutissime, copiosissime, felicissime!

Testor vestram, mihi cari, Athenaei alumni, scientiarum et artium cultores ingenui, amplificandae humanitatis Candidati! vestram testor, in excolendis humanitatis praesidiis diligentiam, laudabili morum honestate commendatam, nobilique animi sensu, bene meritis tendendi ad Honoris Aedem, inflammatam. Hos igniculos, hanc flammam, ut foveatis, non alio opus est incentivo, quam quod vobis, et quis vestrum non sentit tanti tituli nobilitatem et decus! vobis incumbat spes patriae, spes humanitatis!

Non addam plura, solennia diei non ante occupaturus; tametsi haec non multa sunt. Athenaeum quippe, ex Academiae cinere renatum,

sub

ſub veſtris, illuſtrisſimi Proceres! auſpiciis, reviviscere incipit.

Collegii noſtri integritas, ut ut haud parum periclitata, perſtitit ſalva, vacante licet noſtri Amersfoordii, qui uxorem, mox mox primiparam, cui faveat Lucina! comitatur, ſede.

Alumnorum frequentia nondum valde numeroſa. Quid mirum! Cito destruitur Palladium: restauratur tarde. Quae adfuit autem, cultioris eruditionis ardore et amore, eximiam ſibi comparavit laudem: nec defuerunt, qui egregia nobis obtulerint profectuum ſpecimina.

Eaque me nunc vocant ad officium pergratum. Mihi gratulor, cui contingat, tibi, illustrisſime Maecenas! meritis qui annos aequare non deſinis, offerre tuae generoſitatis primitias.

Neque enim defuit noster ordo, quin discipulis praeberet occaſionem adſpirandi ad Palladium palmae honorem, ex tua lautitia, victoribus propoſitum. Neque defuerunt, ſeſe qui praeſtare fuerint conati, praeſtiterintque laude praemioque, dignos.

Corruptum Noachidarum ſtatum exponendum ſibi propoſuit L. L. v a n L o e n e n, futurus Theologus, deque ipſorum crudis moribus, libidine, ul-

ultionis ardore, latrocinandique aestu, uti esse solet populorum incultorum, sensualitatis nudae, et phantasiae vi latorum, status, fuse disseruit et docte.

Aestheticam Phyllidis descriptionem elaboravit A. Nyman, humaniorum cultor. Quanto opere absentem lugeat Demophöontem Rhodepeïa virgo, atque absentiae, nimis longae, (at quam bene hanc numerat amor) non patiens, defatigata caussas fingendo, desperabunda dolet spem frustratam, spretoque amore, undas petit, intumulata occisura Demophöonti.

Physiologorum par nobile, H.G. van Dalen et I.I. Kleinpennink, sese exercuit exponendo respirationis miraculo, stupendo vitae pendulo, soni animalis, vocisque humanae vehiculo, subsistentiae et sanitatis praesidio.

Tametsi singula vestra conamina, a Proceribus gratissime sunt accepta, atque ab iisdem multa laude sunt condecorata, ex instituti genio concertantes evocantur ad praemium: idque, eo in physiologico certamine, tibi contigit, H. G. van Dalen! eoque te condecorandum iussit illustris nóster Maecenas. Sed et tuae diligentiae, tuae, in organica et chemica corporis huma-

mani oeconomia, perſpicaciae, nobilisſime I. I. Kleinpennink! eximia quoque, eo in certamine, dedisti ſpecimina, eximia cum laude memoranda. Est, ſane! quod Athenaeo gratuler, vobisque, de vestris tyrociniis.

Pergite vos, cunctique mihi carisſimi Athenaei alumni! pergite, aetatis florem dicare ſtudiis, quae iuventuti ornamenta praebent, viro emolumenta, ſeni ſolatia, omnique vitae alimenta. Pergite vos, eo mentem imbuere ſapientiae lumine, eo animum humanitatis ſtudio, ut in huius amplificatione, vestrae inſerviatis ſaluti, deque aliis bene merendo, gaudeatis. Pergite vos, tanto providentiae divinae munere, quantum est ſalutifera ingenii cultura! beati, eoque nunc religioſe fruamini, ut vobis olim liceat, aliis, et doctrina, et exemplo, praeire ad Aedem meritorum, honoris et humanitatis!

Id mihi ſuperest vobis, illuſtrisſimi Proceres! ut gratum obtester animum, pro vestra mihi nusquam non praeſtita benevolentia, ut et nunc pro benevola mihique honorifica invitatione, Rectoris Magnifici munus continuandi. Sentio, quae vobis, Maecenates! qui me denuo tanto condecoratis honore, tanta dignitate! debeam officioſa

ob-

obſervantiae ſtudia: his deëſſe nunquam, id religioſe meum duco. Vos, obſecro, muneris ſocii aeſtumatisſimi! ut mihi nunc denuo veſtro conſilio, veſtra ope et amicitia, adesſe pergatis!

Faxit Numen O. M. ut veſtra, illuſtrisſimi Proceres! veſtra, Viri clarisſimi, munerisque ſocii! conamina, tendant in Dei gloriam, patriae ſalutem, eccleſiae emolumentum, Athenaei florem, humanitatis decus!

ERRORES SIC EMENDANDI.

Pag. 12. lin. 24. cenſulentis, *lege* conſulentis.
— 40. — 3. omin, *lege* omni.
— 41. — 12. disciplnas, *lege* disciplinas.
— 41. — 20. Raepelario, *lege* Repelaerio.
— 47. — 1. praoter, *lege* praeter.
— 199. — 9. nostorum, *lege* nostrorum.
— 202. — 26. *πρὸςισιν*, *lege* *πρὸσεσιν.*
— 232. — 11. Staasv., *lege* Staatsv.
— 247. — 22. magua, *lege* magna.
— 249. — 21. *πολεμεικώτερος*, *lege* *πολεμικώτερος.*
— 396. — 10. neget? *lege* negat?

ANNALES
ACAD.
RHENO-
TRAIECT.
1816 - 1817.